



XVII i 13

<http://rcin.org.pl>

50



STANISLAI KONARSKI  
E SCHOLIS PIIS  
DE  
RELIGIONE HONESTORUM HOMINUM.

*Hoc fonte derivata Clades. Horat*



VARSAVIÆ

Bibliot.

Typis. Regis & Reip: apud Sch: Pias.

M D C C L X X I.

JANA MICHAŁSKIEGO

## EXPLICATIO SYMBOLI.

In Monte seu *Rups* prealta & inacessa, quæ Ecclesiæ perpetuitatem, *Crux*, inter binas Moysis *Tabulas*, quæ Vetus & Novum Testamentum. designuant: *Impietas* fasculi anguis erinita, detracta larva, cum pestifero libro, quem serpens circumdat. è loco, ubi nata est, deliciose, qui *Porta hortensi* designatur, erumpens, curru, duobus orci *Draconibus* juncta, vecta, sacras res, libros, ornamenta, imagines, columnas, Fontem Baptismi proterit, templa evertit, *septena facie*, seu totidem Capitalibus sceleribus, utrumque Testamentum in cineres redigere attentat: *Providentia* oculus hæc aspicit: & *Manus Vindictæ Divinæ Fulmen* è cælo in Impietatem vibrat.



XVIII. 1. 51.

---

Pietate & Religione sublatis, perturbatio vitæ sequitur & magna confusio: Fides etiam & societas humani generis, & una excellentissima virtus, justitia, tollitur. Cic. de Nat. D.



A D


# CLEMENTEM XIV. PONTIFICEM MAXIMUM.

*Christiadum divine Pater, vice Numinis, orbis  
Præses, Lex morum, Religionis apex:  
Prorsus apostolicæ instaurator, normaq; vitæ,  
Magnis, & Sandis, addite Præfulibus:  
Quæ celebrant, & qui tua proles grexq; tuus sūt,  
Et qui naviculam deseruere Petri,*

U

*Ut pius , ut sapiens , ut justus , ut arte regendâi  
Summus , ut es carus Regibus, & Populis ,  
  
Ut Tibi mortali cætu prudentia major ,  
Ingenium immenso nec minus imperio :  
  
Parvus hic , & sua perpeſſus convitia , ſiftit  
Se Romæ præſens ad Tua jufſa , Liber :  
  
Ille quidem cautus ſolam petit Impietatem ;  
Ecquonam potuit diſplicuiſſe pijs ?  
  
Sarmatico , vix auſ⁹ erat , pavidusque tremēſq ; ,  
Quid nunc ? cum Latio cogitur ore loqui ?  
  
Proprio CLEMENTE tamen , rerūq ; ſupremo  
Iudice , Cenſores quid metuat reliquos ?*





AUGUSTO DOBROGOST  
PRINCIPI JABLONOWSKI,

In spem magnam Patriæ  
Anno 1769. III. Aug: Lipsiæ, nato;  
JOSEPHI ALEXANDRI,  
DE DUCIBUS PRUSSIIS,

PRINCIPIS S. R. J.

IN JABLONOW ET LACHOWCE  
JABLONOWSKI,

Comitis in Lisianka & Zawatow,  
Baronis in Podhorce,

( a )

PALA-

PALATINI GENERALIS NOVOGRODENSIS,

Corsunensis , Volpen. Rankancisk ,  
Onyxt , Zagoscic , &c. &c. Præfecti ;

ORDINUM , S. SPIRITUS ,

ALBÆ AQUILÆ , ET S. HUBERTI , EQUITIS;

Religione , sapientia , scientiâ  
Divinarum humanarumque rerum ;  
Muneribus in Rep: præclare gestis ,  
Et de Patria meritîs ,  
Primos inter conspicui:

AC FRANCISCÆ

DE PRINCIPIBUS WORONECCIIS

Fæminæ , omni sexûs virtute ,  
Rarisque Dotibûs ornatissimæ ,  
DESIDERATISSIMO FILIO:  
Imperatorii , Regiis ,  
Ae Principibus in Europa Familiis ,

San-

Sanguinis necessitudine  
Ab iisdem agnita, coniuncto ; (\*)  
Heroum Summorumque Virorum,  
Quibus, Resp: trophæa,  
Ornamenta, Salutem, debet,  
Clarissimæ Propagini & Hæredi:  
Quo, ineunte ætate  
Christianis principiis imbuatur,  
A Religione, mores bonos  
Et omnes Virtutes fluere,  
Fundamentum vitæ Civilis  
In Religione optime collocari,  
E morum incorruptorum disciplina,  
Fortunam Reip: & omnem felicitatem  
Societatis humanæ pendere ;  
( a ) Super-

---

(\*) Nota omnibus Sanguinis necessitudo, cum Domo  
Borbonica, per Reginam Galliae neptem Jacobo-  
noviæ: cum Bayarica, e Diplomate Caroli VII.

factum esse, adeoque se esse contentam declaravit, ut laudibus doctum illum Religiosum compleverit, exaltando verbis maxima estimatione & affectione plenis, singularem ejus prudentiam, zelum Religionis Catholicæ, promptam & filialem obedientiam, quam præstítit S. Sedis imperiis. Præstolatur nunc Sanctissimus Pater, ut quām primum videre possit ad effectum deductam Libri prædicti prælo Impressionem in Idiomate Polono & Latino: quandoquidem sperat hoc Opus non tantum redundaturum in laudem Authoris, verum etiam ad utilitatem Religionis Catholicæ. Precor itaque P. V. ut notificet R. P. Konarski hæc Pontificia sensa, animumque eidem etiam nomine suæ Sanctitatis addat, ut nun cesseat unquam oppugnare errores Saculi, & hostes Catholicæ Religionis dominantis in Polonia, quandoquidem valeat id facere cum tanto applausu & profectu Fidelium. Hoc est, quod Scriptor præsentium significare debuit P. Væ. exequenao suprema S. Domini jussa. Verba itaque hæc Illustrissimi & Reverendissimi Affectoris S. Officii sunt ejusmodi, nihil ut illis addi aut demi a nobis oporteat: testificari duntaxat ea esse extracta ex originali ejusdem Epistola Roma Varsaviam transmissa. Proinde nos tantummodo Librum hunc nihil contra fidem moresque con-

tinere,

tinere , & cum luce publica dignum esse pro-  
movere nostro attestamur. In quorum fidem  
manibus propriis subscribimus : Varsaviæ  
1771. Die 4. Maii.

*Simon Boidecki S. P. Professor Theologiae  
in Colleg: Reg: Censor Librorum Or-  
dinarius.* mpp.

*Gratianus Piotrowski S. P. in Colleg: Reg:  
Professor Theologiae.* mpp.

---

**T**ibrum cui titulus: *De Religione hone-  
storum hominum* jam alias in lingua  
patria vulgatum ; nunc in Latinum sermo-  
nem versum , pluribus ab illustri Auctore  
auctum , ac nonnullis in locis illustratum,  
cum voluptate ac pietatis sensu legi : di-  
gumque luce publicâ judicavi. Varsaviæ  
X. Kal. Junias. Annō MDCCLXXI.

*Petrus Hyacinthus Slinwicki è Con-  
gregatione Presbyterorum Missio-  
nis: Librorum Censor Ordinarius.*  
mpp.

---

---

J M P R I M A T U R.

ANDREAS STANISLAUS  
EPISCOPUS.

---

E R R O R E S Typi.

- pag. 15. v. 8. *procurandi* lege *procurandis*.  
pag. 32. v. 26. *quoque* - *quodque*.  
pag. 82. v. 8. *instruct&* - *instruc&*.  
pag. 119. v. 21. *homines Religione* - *homines è Religione*.  
pag. 125. v. 6. *teguunt* - *tegunt*.  
pag. 153. v. 29. *moribus* - *motibus*.  
pag. 287. v. 4. *imbuuntque* - *imbuunturque*.  
pag. 188. v. 17. *quod fieri* - *quo ad fieri*.

# ELENCHUS

## Centnerum in Libro.

	Pag:
Epistola Comitis Zamoyscji	1
Parænæsis ad Inventutem	5
§. I. Idea Religionis honestorum Hominum. Ostenditur Religionem honestorum Hominum, Religioni nostræ, quam contemptui habet, injuriosam esse, deinde quænam sit significatio verbi hujus honestus, cuinam proprie, quæve ratione competat.	19
§. II. Animadversio de Philosophis: & Nota super utilitate sane Philosophia.	40
§. III. Continuatio ejusdem animadversionis.	52
§. IV. De Virtutibus Religionis honestorum Hominum. Homini ut homini, & ut Civi Patriæ, necessaria est vera & interna honestas, sed non honestas tantummodo externa & humana, qua in quibusdam paucis duntaxat Virtutibus consistit, Christianas præcipuas Virtutes rejicit, peccata contra Deum ignorat.	63
§. V. De Charitate in Deum & Revelatione. Dei verum amorem, qua prima omnium est Virtus, habere eos	

Pag:

*eos non posse, qui revelationem,  
 proinde & præcepta Dei, rejiciunt,  
 quæ nos è Revelatione cognoscimus.*  
 *Ubi & de necessitate Revelationis.* 78

§. VI. Continuatio de Charitate in Deum  
& Revelatione. 93

§. VII. Continuatio ejusdem. 109

§. VIII. Honestati hominum sufficit, ut ab  
hominibus honoretur, proinde sa-  
tis est illi ipsa quadam virtutis  
externa species. 120

§. IX. De Amore Virtutis ob solam vir-  
tutem. Non satis est Virtutem,  
propter ipsammet Virtutem amare &  
consecrari. 132

§. X. Obiectiones & Responsa. *Ubi & de*  
*imbecilli vi humanæ Virtutis, &*  
*de vero Virtutis scopo.* 145

§. XI. In quo vera Christiana probitas,  
in quo, juxta Religionem honesto-  
rum hominum, probitas, sita sit.  
Principia eō tendentia Theistarum  
& Christianorum quantum diversa  
sunt, & sibi opposita. 166

Principium Theistarum primum. Dei  
providentiam præsertim in Indivi-  
duis Hominum negant. 167


Principium secundum: nullum juxta Thei-  
staras præmium, nulla pæna in vita  
futura. 171

Prin.

Principium 3tium. Non Dēi lex & voluntas sed instinctus naturae ac evidenter inter bonum & malum , sunt juxta Theistarum Virtutis principia. Nota super eodem.	172
<b>§. XII. Principium Theistarum 4tum.</b>	
<i>Non Deus finis hominis.</i>	196
Principium 5tum. <i>Impietas in Christum.</i>	198
Principium 6tum. <i>Mysteria Fidei , actus Religionis rejiciunt.</i> (Hic error typi corrigendus in numero: Princip: 5tum , lege sextum & ita in sequentibns numeris.)	203
Principium 7num. <i>Odium implacabile contra Ecclesiasticos.</i>	204
<b>Principium 8vum. Iram, justitiam &amp; ultionem Dei in peccatores tollunt.</b>	
<i>Qualis Deus Theistarum.</i>	207
Principium 9num. <i>Quæ in Fide ratio humana non capit, mox improbant.</i>	
<i>Ubi rationis humana dignitas assertur.</i>	217
Principium 10num. <i>Omnia Christianorum superstitutionis accusant.</i>	224
<b>§. XIII. Qualia Principia Theistarum &amp; Christianoru, tales mores.</b>	
<i>Nā varietas principiorum &amp; Sententiariū in materia Religionis , varietatem morum inducit. Ostenditur qui sint mores male de Religione sentientium</i>	

Pag:

- tiūm, qui vere Christianam Reli-  
gionem profitentium. 227
- De Honoris tuitione. Nota super bono-  
ris & famæ cura. 238
- §. XIV. Publicæ privatæque rationes ex-  
penduntur, ob quas probus Christia-  
nus, præfertur probo Homini ex ista  
Religione fætitia hominum bone-  
storum. Bonam, florentem, felicem-  
que Rempublicam, nullo prorsus  
modo esse posse, cuius Cives irreligio-  
osi sint malisque moribus: imo,  
Respublica perdita, in qua mali  
mores & irreligio. 236
- §. XV. Rationes reliquæ duæ: propriæ Fa-  
mæ & Salutis. Ubi & de Theismi  
duobus fontibus seu veris causis. 262
- §. XVI. De Ecclesiasticorum Intoleran-  
tia. Excerpta ex Oratione de Mr.  
Seguier. Dogmata perquam impia  
incredulorum. 275
- §. XVII. Conclusio de Denominationibus  
diversis Theistarum. Quantum  
interst Principum & Reipublica,  
impietatem eliminare. 293



EPISTO-



# EPISTOLA ANDREÆ COMITIS ZAMOYSKI,

Antehac Supremi Cancellarii Regni  
Poloniæ, ad Authorem.

*S*ingulari cum voluptate animi legi  
lucubrationem Tuam. In hac ma-  
sterie adeò humano generi nostra-  
tibusque necessaria, nihil in mora-  
libus aliarum nationum scriptoribus, cum  
brevitate numeris omnibus magis absolutum,  
nihil in hoc genere expressius fortiusque legi.  
Simul tamen indolui, quod in lucem publicam  
opus hoc edere, ob rationem hujus tempo-  
ris, ut intellexi, recuses. Fas mihi sit, Au-  
thori tam salubria meditanti meum aperire  
consilium.

*In quavis gente, nec verò minus in libera,  
ubi sors ipsa nascendi ad munia, honoresque  
aditum præbet, pernecessaria sunt id genus*

A                      prin-

*principia, quæ in Tuis meditationibus eluent; ideo cognitio eorum communicanda est omnibus, honorum imprimis civium causâ Patriæque utilitatis ergo.*

*Quæsita in scholis doctrina, quæ ætate perficitur, si Reipublicæ non est in semet noxia, minus etiam proderit, nisi innitatur bonis moribus. Quod autem aliud fundatum morum absque Religione esse poterit?*

*Annis, qui jam emancipant è potestate patria, liber civis, quomodo obediens legibus, quibus ejus mores repugnant? qui modum potius iis sese subducendi declinandæque pænæ, quam morum emendandorum quæret.*

*In magistratu & officio, qui exequendis legibus incumbet ille, cui de earum intima æquitate & necessitate persuasum non est? qua ratione arguet prævaricationis alios, prævaricator ipse? Quæ jam existimatio, quæ reverentia ab aliis debebitur illi Magistratui, cuius mores procul adeò distant ab officio? Quid jam vero mirum est, hominem hunc cuncte parti Reipublicæ admotum, probitate & Virtute carere, qui Religione careat?*

*Iam in Comitiis ad leges ferendas votati, qua ratione bonas statuent isti? quorum interest, nullas esse. Si fanciunt aliquid, alios non ipsos leges ut obligent, volunt, & ut potentiores sese iis excipiunt. Inde in con-*

*conditione æquali , pœnæ inæqualitas in Violatores.*

*Liquet satis quam difficile sit obtemperare Legibus , difficilius Leges ad executionem deducere , defendere & tueri. Difficillimum jam , imo potius fieri id omnino nequit , ut Natio quæpiam corruptis & flagitiosis moribus depravata , id est : ut mali bonas condant Leges. Iam qui mores eorum velit corriger , nisi basim Religionis jaciat , à Religione , ordiciatur , lavabit æthiopem.*

*Si jam apud falsorum Deorum cultores , Fundatores , Legislatoresque Imperiorum , præmiis , pœnisque apud Superos inferosq; propositis , Populum continere in officio , hocque ipso Regna fortunata reddere studuerunt , quid vetat in eundem finem uti nos Religione nostra Christiana , quæ tam clare evidenterque nobis tradit Virtutis præcepta , quæ tam perfecte nos conducit , ut felices beatosque nos reddat , & generatim in societate humana , & singulatim unumquemque , non in præsenti tantum sed & in altera æternaque vita. Si illa itaque probum quenlibet & virtute præstantem conatur formare Civem , id omnino sequi necesse est , Rempublicam è virtute præditis constitutam Civibus , felicem , eandem è malis conflatam , oppido infelicem esse oportere.*

*Contingere id denique potest , fuisse aut  
A 2    esse*


*esse bonum Civem , quamvis Christianus non fuerit : sed id manifestum est , esse non posse bonum Christianum , quin simul sit bonus omnino Civis tam Patriæ , quam suo Principi.*

*Mundum depravatum esse fateor , non in ultimo tamen adhuc corruptionis gradu : opus est & nunc aliquo saltem tegumento persona specieque Virtutis ad Magistratus honoresque consequendos , ad rem fortunasque augendas. Sunt & complures qui ament Virtutem : quamvis infelicitas temporum detegat paucos esse , qui ausint rem privatam , honorem , bona , litare Virtuti. Considerationes Tuæ in aliis excitabunt labefactatam , in aliis animo eorum insitam corroborabunt.*

*Multi multa dicunt , id quod peroptant , de redigenda in meliorem formam Republica , sed ut sine sole lux claritasque diei , ita emendatio internæ gubernationis & consiliorum Reipublicæ , non emendatis prius moribüs , morum verò emendatio absque Religione nullum usquam locum habebunt.*

*In edendis jam itaque cogitatis Tuis ad corrigendam morum disciplinam tendentibus , noli esse difficilis : cedat Tuæ bono communi modestia : ego verò laudi mihi ducam , te id mea persuasione fecisse , & si fas est dicere , me à Te id extorsisse. Vale. die 22.  
9bris 1768.*

PARÆ-



# P A R Æ N E S I S

A D

## J U V E N T U T E M.

---

Fortasse ex Ode Vobis à me alias de-  
cantata, retinetis memoria Carmen ali-  
quod; aut ego satius partem ejus  
vobis commemorandam duxi:

Dsit huc Pubes nisi, digna Phæbor:  
At Sacris exeste procul prophani!  
Prima res: Divum metus esto!

Lex Sapientis.

Ni Iovis cautus vereare tela,  
Nulla vis Legum satis est. Honos quid?  
Ipsa quid virtus? quid inane vani

Nomen honesti?

A 3

Quod

Quod bonis æquè , quis enim malisque  
 Abnuat ? dum sit scelus arte tectum ,  
 Ora nec , felix sine teste crimen ,  
 Pervolet Urbis.

Criminis vitam juvat innocentem  
 Fasque sedlari , memores , paratæ  
 Quæ piis sedes , quis in impiorum  
 Pectora vultur  
 Sævit , arguto sine fine rostro .  
 Nil erit , nil est ita forte , nil plus  
 Inque mortales valet , ut futuri  
 Spesvè , timorvè .

Quod brevius in hoc Carmine , idem fu-  
 sius in Christianis istis de Religione hone-  
 storum hominum cogitationibus , vobis ex-  
 plicui , quas nullius certe hominis prius ,  
 quam Vestri causâ , vestræque utilitatis ergo  
 in hac Lucubratione collegi .

Certo jam & indubitate id credite , hoc  
 vobis proprium , hoc vestrum tempus , hanc  
 vestram ætatem esse , qua Vos homines ve-  
 re olim honestos efficere , moresque vestros  
 ad principia Legesque veræ honestatis for-  
 mare possitis . Ad hoc vos totus hic libel-  
 lus majorem in modum cohortatur & ex-  
 citat .

Memineritis imprimis , ad quod Vobis  
 persuadendum tota nostra tendit oratio , non  
 posse

*posse vos ulla ratione vere honestos esse homines , sine Religione. Cum verò sine Religione ajo , aliud non intelligo , quam quod Vos sine Religione Catholica frustra & falso nomen honestorum hominum usurpabitis.*

*Nasci in fide Catholica sumnum est gratiæ Dei donum , quæ sola vobis in meritis Christi jus ad æternam salutem tribuit. Religionem nostram vere esse Divinam , eamq; in Ecclesia Catholica Romana esse integerim conservatam , evidentissimis argumentis , toties vobis è solidis de Religione Scriptoribus demonstratum est. Fidem Petri nunquam defecturam. Portas inferi contra eam non prævalituras. Extra Ecclesiam Catholicam , extra Navim Petri , ut Hieronimus aliique veteres Patres docent , nullam esse salutem : his similibusque principiis ab usu rationis imbuvi cœpistis & continuò imbuimini. Concipietis itaque facile , cùm toto isto Libello , honestatem sine Religione stare nullo modo posse vobis demonstro , me aliam Religionem non intelligere , præterquam solam , in qua nati estis , Romanam Catholicam.*

*Quod ut vobis proculdubio constet : honestatem ego Vobis bifariam divido : in honestatem scilicet humanam seu secundum opinionem hominum , & in Christianam*

*veram honestatem, seu secundum Deum rationesque Divinas. De utraque loqui mihi Magnus Paulus videtur: non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Commandant ergo semet-ipsos multi homines, confiduntque sibi quod honesti omnino sint, & tales sunt etiam iudicio hominum: sed si Deus eos ut tales, non commendet nec probet, honestas eorum tantum humana est, Christiana non est.*

*Id itaque quod Divus Thomas ait: quandoque honestatis nomen transfertur ad exteriorem prosperitatem, divitias puta, potentiam, honores, & similia; de humana certe honestate id afferit. Quod vero inquit Salomon: invocavi, & datus est mihi spiritus Sapientiae, venit mihi innumarabilis honestas per manus illius: quod item affirmat de homine justo: justum deduxit Dominus per vias rectas & ostendit illi Regnum Dei, dedit illi scientiam Sanctorum & honestavit labores illius; haec profectio de honestate duntaxat juxta Deum accepta, de honestate nempe Christiana oportet intelligi.*

*Honestatem ergo mere humanam nulli ego Christianorum sectae, imo ne Iudaeis quidem & Mahometanis, dum juxta Leges suae qualiscunque Religionis vivant, nec ipsis denique*

nique Ethnicis abnuo aut inficiar : uti nec Apostolorum Acta denegarunt hunc titulum sœminis Ethnicorum , mulierum gentilium honestarum , quæ erant plures Græcæ mulieres honesto loco natæ , bonaque opera exercebant , quamvis non essent Hæbreæ . Cujuscunque ergo , demum cultus sint homines , commendent & affirmant illi se probos & honestos esse , sint etiam reapse , ut apud Romanos id maxime bonis laudi erat , Viri honestissimi .

Sed veram honestatem qualem Deus commendat & probat , qua Deus justos suos cohonestat , nulli heresi , nulli schismati , nulli Philosophorum Sectæ attribui posse , ut mihi est , sic vobis volo esse persuasissimum : ita quidem , ut qui vera Religione careat , vera quoque Christiana honestate eum carere oporteat . Dum enim eum , qui Ecclesiam non audierit , uti Ethnicum & Publicanum , ipse Christus Deus respici jubeat , talis de homine Ecclesiam non audiens , iussa , decreta , & clare promulgata à Christo opinio , certe cum opinione & laude veræ Christianæ honestatis , aper te pugnat , minimeque cohæret . Irascantur ergo illi non nobis , sed huic ipsius supremi Arbitri & Iudicis Christi Dei Decreto , quod nos super eo fundati , veram Chri-

stianam , ac à Deo probatam & commen-  
dabilem honestatem , in vera Catholica Ec-  
clesia includamus , illis verò qui sunt extra  
Ecclesiam omnes titulos humanæ honestatis  
minime disputamus .

Quanquam etiam hunc ipsum humanæ ho-  
nestatis titulum , illi mihi minime mereri  
videntur , qui nati & educati Catholici ,  
avitam Religionem deserunt , hostesque il-  
lius fuent : sive illi mentis superbiā , quæ se  
sanctæ Mysteriis fidei subiicere renuit , elati ,  
sive incredibili quadam levitate , temeritate  
ac furore & pessimis aliorum exemplis im-  
pulsi , sive privatæ rei studio & commodo  
ducti , sive cupidine majoris in vivendo li-  
centiæ , libidinibus & lascivis excæcati , à  
Religione prævaricentur . Nihil enim hoc  
crimine indignius homine honesto , nihil tur-  
pius , nihil inhonestius , ac ignominia plen-  
nius committere possunt .

Sed relinquamus jam fatis suis , quæ à  
Deo præstolentur , istos Religionis omnis  
inimicos : nobis non est in animo , opinio-  
ne de se maxima sapientiæ inflatos Theiftas  
convertere : Dei id solius potentiae est , cu-  
jus munus gratuitum , fides est , nostra illi  
superbissime contemnunt . Scopus meus est ,  
Vos , egregii Adolescentes , ne in insanias  
contra vestram Religionem opiniones ali-  
quando

*quando per trahamini, paucis præmonere ac  
præmunire.*

*Agitur hic non de ulla re alia minoris  
momenti, sed de salute animæ vestræ agi-  
tur. Hoc negotio ut in æternum felices sitis,  
nullum vobis debet esse antiquius, nullum  
majus, nullum curâ vestrâ dignius, nullum  
in vita magis necessarium. Discite, intel-  
ligite, capite semel, idque continuò cogita-  
te, non ad vitam hanc solam terrenam &  
brevem, sed ad alteram eamque sine fine  
perpetuam vos esse à Deo creatos. Pen-  
etrare quæso, & mentibus vestris ante omnia  
à teneris alte imprimite hanc sententiam Dei  
Hominis: quid prodest homini si mundum  
universum lucretur, animæ verò suæ de-  
trimentum patiatur? id est, si lucremini,  
si complectamini delicias & voluptates omnes,  
honores omnes, amicitias mundi omnes, &  
perdatis finita præsenti vita animas, ac  
æternam ad quam nati estis felicitatem, a-  
mittatis, quid tum vobis volupiates, opes,  
honores, amicitiae mundi totius proderunt?*

*Neque quæso putate (ut leves, temerarios,  
sine Religione & moribus homines sæpe di-  
cere audietis) tales de salute animæ cogi-  
tationes, ad Sacerdotes, ad Monachos,  
ad decrepitos senes & anus, ad Egyptio-  
rum Eremicolarum nemora & Trappæ hor-  
rores,*

rores , non ad florentem ætate ac opibus ,  
 non ad mundi ac Republicæ res , ad orna-  
 menta & munia crescentem Iuuentutem ,  
 non ad homines magnis sæculi curis & stu-  
 diis occupatos , pertinere : talibus profecto  
 insanis persuasionibus cæci tæcos ducunt ,  
 decipiunt , & in perniciem secum trahunt ,  
 dum à vero & unico fine ad quem unum  
 vos Deus creavit , impii isti vos avertunt  
 & avocant . Si Sacerdotes & Monachi soli ,  
 si seues & anus , si soli Eremi incolæ ha-  
 bent immortales animas , & vos easdem  
 immortales animas non habetis , relinquite  
 illis solis cogitationes de salute animæ ,  
 vos eas spernite & negligite . Sed si ve-  
 stræ ac illorum animæ ad alteram æternam-  
 que vitam sunt conditæ , æquè vos ac illi de  
 salute animæ vestræ , adolescentes , juvenes ,  
 viri , senes , imprimis , semper ac perpetua  
 cogitare tota vita debetis , & ad hanc de  
 salute vestra cogitationem ac non interru-  
 ptam solicitudinem , vel à primis vitæ ve-  
 stræ annis vos asuescere , ac quotidie inter  
 quasvis mundanarum rerum curas de salute  
 vestra æterna præprimis sollicitos vos esse  
 oportet . Cogitate semper ita : bene est , id  
 quod privatim , id quod in Republica ago  
 & agam : sed me animam meam inter hæc ,  
 & ante omnia salvare oportet . Illud tem-  
 poris ,

*poris , hoc æternitatis negotium est . Tem-  
pori brevi totum ? æternitati nihil ? quæ in-  
sania !*

*Credite ergo non horum perditorum ac  
in flagitia omnia effusissimorum hominum  
vanis impiisque dictieriis , sed potius Au-  
thori Fidei nostræ Christo credite , Mar-  
tham suavissime alloquenti : Martha Martha  
solicita es & turbaris erga plurima , porro  
unum est necessarium . Solliciti nimirum &  
vos estis , & prout par est eritis , quod  
vobis felix faustumque sit , de procuranda  
salute corporis , de comparanda rerum hu-  
manarum multa scientia , de fortunis , de  
fama bona & gloria , de honoribus & po-  
tentia , de amicitiis acquirendis ; esto ita ;  
sitis de his anxii & solliciti , sunt enim  
haec hominum , sunt humanæ societatis bo-  
na . Laborate strenue ut ea adipiscamini .  
Ignavia , ocio , voluptatibus , acedia , ab-  
jectione animi putrefacere homini , nihil tur-  
pius . Motu omnia servantur , motu cre-  
scunt . Agendum semper , contendendum ad  
majora perpetuo , conandum , laborandum  
est . Homo nascitur ad laborem , & avis  
ad volatum , Job monet . Quo loco ridete  
quæso caluniam & malignitatem Christia-  
næ Religionis osorum , qui illi id solent  
appingere , quasi haec Religio ita totos ho-  
mines*

mines ad sola Cœlestia curanda abriperet, omnem ut curam augendæ rei familiaris & opum ac honorum mundanorum prohibeat: malevole id contra doctrinam Catholicam præsertim effingunt, quasi hæc Ordinem Providentiaz & societatis à Deo stabilitæ perveteret, quasi hæc ignoraret, Deum bonos & justos etiam in hoc mundo famâ, honoribâs, opibâs sæpe remunerari, & eorum circa temporalia laboribus prosperare: nemo ergo vobis dissuadet, nemo vos à procuratione justa, legitima, diligenti & laboriosa tam private rei & honoris, quam Reipublicæ, avocat, imo ad solicitudinem & circa vestras res domesticas, & olim circa res Patriæ, vos quotidie majorem in modum adhortari non desinimus.

Sed cum solliciti anxiique sitis, olimque magis adhuc eritis circa plurima, mementote semper unum porro vobis esse necessarium, Deum scilicet animæque salutem æternam. Mox ut esse mortales cessabitis, incipietis esse illico immortales: hunc tandem vestrum post omnes in hoc mundo contentiones & labores, solum, verum & ultimum finem esse, ab hoc, si solis curis temporalibus abrepti, Deus avertat, aberretis, peribitis; ad hunc tendite, hunc curate. Nec differenda vobis ullo modo est hæc æternorum

*rum solicitude & cura : memineritis moniti sapientissimi Salomonis : memento Creatoris Tui , in diebus Iuventutis tuæ , antequam veniat afflictionis ( id est senii ) tempus , & appropinquent anni de quibus diccas non placent : id est , non placent anni , quos neglecto Deo & Cælo , in procurandi solis Bonis terrestribus , iisque fluxis & brevibus ac cum mortali halitu finitulis , misere prodegi & perdidi . Dum itaque rem mundi ac vestram perpetim in mundo agetis , feriat vos , perstringat & percellat saepius brevis haec Tertulliani cogitatio : in periculo amittendæ æternitatis versamur.*

*Sed quorsum isthac hoc loci ? Majus jam enim ullum ejus amittendæ periculum vobis imminere non video , quam depravationem præsentis sæculi in Religionis materia , quamque hanc talem , qualem ego vobis in hoc Libello paucis explicare aggredior Religionem male nuncupatorum honestorum hominum , Catholicæ imprimis & universem Christianæ Religioni injensissimorum hostium . Hanc eorum Religionem tantum intelligere velitis , & satis erit eam ut perhorreatis , detestemini , fugiatis , atque ita salutem animæ vestiræ à certo exi-*

tio

*tio liberabitis. Supra captum vestrum nihil  
hic offendetis.*

*Lettionem Librorum moralium , qui vos  
post Evangelium , Religionis officia & optimos  
mores doceant , præ cæteris utilibus  
Libris maxime vobis esse necessariam, sem-  
per vobis commendari inculcarique audi-  
stis , absque ea vos nec bonos nec doctos  
unquam fore Cives: documentum dabitis ,  
vos è puerili ætatula jam esse egressos ,  
crepundiis & nugis infantiae expeditos, non  
puerilia agitare , sed jam solide prout ho-  
mines decet cogitare , si isthac quæ vestri  
imprimis causâ elucubravi , attente vel ipsi  
legetis , vel legi audietis. Et vestros ego  
in isto præsertim Collegio Præfettos ac  
Præceptores nunc & cum tempore ad stu-  
dia vestra dirigenda delectos & diligendos  
majorem in modum oro obtestorque , singulis  
ut annis lucubrationem hanc vobis , statim  
juxta ordinem Collegii horis , diligenter  
explicare velint. Monumentum hoc peren-  
ne mei erga vos amoris , uti & Oratio-  
nem de bono Cive , vobis alias dedicatum ,  
gratis quæso animis ab eo excipite , cuius  
jam tempus resolutionis instat.*

*Et quandoquidem jam post rationes sa-  
lutis æternæ , quæ vos ad honestatem Chri-  
stianam*

rianam sectandam efficacius omnibus aliis permovere & compellere debent, quandoquidem inquam & vestroe carœ Patriœ, & vobis metipsis; & vestris Parentibus ac Familiis bene precamini, persuasum vobis sit convictrique plane hac de re estote, quod neque Patriœ, neque in ea vobis, neque vestris Familiis, futurum sit unquam bene, si vos honestorum Christianorum rem, laudem & gloriam quererere negligetis. Nihil vos, nihil Rempublicam & Patriam vestram perdet citius, quam ut Apuleii vece utamur, Irreligio. Homo irreligiosus, nullo modo esse bonus, aut honestus potest. Homo irreligiosus, & vir bonorum morum, notiones istæ duæ sibi absolute repugnant. Homo religiosus erga Deum & homo probus ac virtute præditus, unam eandemque notionem complectuntur. Homo irreligiosus pestis est civitatis & civium. Homo religiosus, semper est suæ ornamentum & columen Patriœ.

Est Deus, qui mundum & nos in illo ex nihilo condidit, qui eundem & nos in eo gubernat, nostrum principium & finis noster supremus ac ultimus. Hanc solam veritatem recte concipere & ejus continuo meminisse, summum verumque est contra

*impietatem remedium. Deus O. M. vos  
ad suam conservet gloriam, ac vestram &  
Patriæ felicitatem.*



COGI-



# COGITATA CHRISTIANA

D E

RELIGIONE HONESTORUM , UT DICI  
VOLUNT , HOMINUM.

## §. I.

*In quo ostenditur: Religionem honestorum hominum , Religioni nostræ , quam contemptui habet , injuriosam esse ; deinde . quænam sit significatio verbi hujus honestus , cuinam proprie , quæve ratione competit.*



E A est iniqua conditio temporum , in quæ nostra ætas incidit, ut undequaque sœva oboriatur adversus Religionem tempestas , ubique atrox indictum sit ei bellum. Invehitur in eam ex una parte vis magna hominum , quos ab effræni potius morum li-

B 2 centia,

centia , quam à male nuncupari ita solita libertate vivendi , *Libertinos* appellare solemus , qui licet plus , minusve polleant ingenio & doctrinâ , tamen æque in perniciem ejus conjurasse videntur. Non est sane , quod ab his perditis hominibus tantopere vereamur , nam eorum mores corrupti , vita turpis , ac peregrinum ingenium , satis arguunt , securosque nos reddunt , non magnopere formidabiles contemptione potius dignos , Christianæ fidei hos esse hostes. Sed enim parte ex altera irruunt in Religionem Philosophi , eruditione doctrinâque illustres , & , quod maxime , ingenti quadam de se ipsis præcellentis ingenii opinione tumidi. *Quidquid ex antiquissimis Sapientum Ethnicorum Libris expresserunt* , quod totum jam Religio Christiana à primis , ad decimum octavum , Sæculis , funditus concusserat sustuleratque , id ipsum nunc excitare , instaurare , tradere nobis , spargere ac disseminare conantur.

Videntur sane vel ignorare , vel nolle intelligere illud , quod prudentissimus Philosophorum Cicero , de antiquis Philosophis , ( qui non minore certe quam quicunque celebres hoc nostro Sæculo Philosophi , sapientiæ aut verius scientiæ famâ claruerunt ) observavit , inque illorum inquinatissimis ani-

animadvertisit erroribus : *nihil*, inquit *tam absurde dici potest*, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum : *nemo agrotus quidquam somniat tam nefandum*, quod non aliquis dicat *Philosophus*. Nihilominus eorum præceptis, opinionibus & doctrinis imbuti ac conformati hujus ævi Philosophi, vestigiis antiquorum insistentes, armisque instructi, nonnulli eorum vim conantur afferre soli nostræ sanctæ Catholicæ Romanæ Religioni, utpote *Universali*, de qua magnus Paulus scribens ad Romanos affirmat : *Fides Vestræ prædicatur in universo mundo* : alii & in vetustissimum populi Hebraici cultum ac ceremonias quibus usque ad Christi adventum Deus coli volebat, & in omnes simul insurgunt Christianorum sectas : easque perinde reiiciunt, ac quasvis alias in quatuor mundi partibus, ab insanis hominibus inventas efficiasque Religiones : neque aliam pati & ferre volunt, præter solam Religionem naturalem, Philosophicam, præter inquam Religionem Honestorum Hominum, quam eo nomine saepius illis appellare lubit. Hocque bellum tam atrox adversus res Divinas gerunt, non tam ex proprio animi sui sensu, & acumine, nihil enim tam novi & inexpectati nostris obtrudunt auribus, quod jam dudum in somniis pri-

scorum Philosophorum non reperiatur , sed potius omnia arma sua deprompta habent ex placitis Platonis , Aristotelis , Anaxagoræ , Epicuri , Lucretii , & multorum aliorum his similium.

Nos vero omnes , qui Evangelii & Sacrae scripturæ veritati adhæremus , qui in societate vitæ Christianæ alti & educati , reliquam curriculi nostri partem in eodem proposito ad ultimum agonem explere cupimus , atque Religionem nostram Catholicaam pro viribus defendere ad extremum volamus , nos , inquam , omnes , sine ulla exceptione , aut discrimine cuiusquam doctrinæ , & saltem illis paris ingenii , renuntiant & declarant , tanquam homines fanaticos , hebetes , qui illorum doctrinam capere non possint , tyrones indoctos ac rudes , ultiro in rebus perspicuis cæcutientes , infantissimos , qui balbutiant , & in falsas opiniones erroresque facile inducantur : denique male feriatos , & penitus obtusæ mentis homines nos è sententia Volteri nuncupant ; atque è celso sublimis sui ingenii culmine nos contemplati , tanquam vilissima , ut illis placet , reptilia animalia ac insecta spernunt , ac quandoque super nostri tenuitate ingenii , imbecillitate captus , & super stultitia errorum , in mentibus nostris

stris altis radicibus defixorum, quadam commiseratione erga nos permoveri videntur.

Sint jam sane, illi, ut sibi videntur, præclari & magni ingenio: nihil eorum hac in parte laudi & existimationi detractum volumus: nos vero Christiani Catholici, ab ipso auctore Sanctissimo nostræ Religionis vocitati *pufillus grec*, non invideamus summis his, uti de se opinantur, hominibus, eorum honori, famæ, gloriæ, sapientiæ. Sint inquam illi, toti sua magnitudine occupati (qui nos eminùs repentium instar formicarum despiciunt) *Gigantes*, potentes à sæculo viri famosi, qui scilicet cum tota quanta vi præstantissimorum ingeñiorum suorum, *in cœlum ponunt os suum*, & omnia divina impugnant mysteria, maxime que sibi esse putant dedecori & contumeliae, intellectum, sensumque suum subdere simplicitati Fidei: nos contenti simus, non hac immensa eorum scientiæ, sed potias quanta dari potest, fidei magnæ gloria: *Beatus qui credit: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.*

Certè ego Christianus Catholicus natus, & pro mea Fide mori paratus, non invideo celeberrimis his magna orbis parte Philosophis, supra nos reliquum vulgus se se efferentibus, non invideo, inquam, eorum,

majoris fere humana , scientiæ laudibus , quibus invicem se se illi exornare amant : magis me certe permovet testimonium ab Auctore nostræ Religionis sacratissimo , fæminæ illi in Evangelio datum : *mulier magna est fides tua.* Sæpius animum adverto meum tam magnæ & collaudatæ fidei hujus mulieris , reputans ipse mecum , an ego , aut alii Christiani Catholici his temporibus , tam excellenti fide sint prædicti , adversus quam impietas præsentis sæculi , omnibus modis admittitur , ut ea in animis Christianorum aut imminuatur , aut si penitus non tollatur , debilitetur certe.

Credo ego verbis Christi , *Portæ inferi non prævalebunt adversus ecclesiam Catholicam* : subsistet illa donec mundus subsistet : tamen quemadmodum quolibet sæculo , ita maxime præsenti insurgit in eam pericolosissima Secta ; èo gravior , quod occulta & sine duce , magis in dies serpat . *Non veri Christiani , sed fucati , non Christiani , sed Christianorum simiæ* ; ut Cornelius à Lapide inquit . *Quæ quidem perditissima disciplina , non quidem in perniciem ipsam Religionis Christianæ nata , sed in detrimentum ejus maximum , nunc gaudet nomine Fortium Spirituum , seu animorum , nunc Theistarum , aut Philosophorum Religionis naturalis,*

turalis , sed præcipue dici amat , *Religio honestorum hominum.*

Ejusmodi sapientes prædicant suadentesque omnibus , in eorum Libris , multa quidem doctrina & eruditione refertis , at non veritati innixis , quibus totam inundant Europam , suadent inquam & perducere omnes conantur ad eam sententiam , ut omnibus aliis rejectis , necessitatem agnoscamus unicæ Religionis honestorum hominum : quiunque vero eis aduersetur , vel hac sola causa eum mox expungunt è numero præditorum recta ratione hominum , atque superstitionis , aut illi *Fanaticæ mentis notam* labemque inurunt . Cogitent sane de nobis , ut ipsis libuerit : nostræ quidem sententiae , nostra principia sunt omnino alia , nostra veritas semper in eo stabit , quo & nunc in exponendis hisce cogitatis tendimus , non sufficere nimirum ulli , esse honestum hominem , sed imprimis necessarium esse , ut si mus veri orthodoxi Christiani honesti homines .

Ac cum primis expendo accuratius , hujus pulchri significationem nominis : *honestus homo* , nam æque in lingua Latina ac nostra vernacula eodem quasi derivatur fonte : *honestas* , ut interpretatur Thomas magnus Doctor , quasi honoris status , *honestus* ,

quasi



*quasi honoratus*; unde patet honestum dici hominem, idem esse, quod hominem appellari dignum honore existimatione ac cultu.

Quandoquidem vero virtus inter omnes dotes ac bona animi & corporis, primum sibi vendicat semper locum; licet nonnulli Philosophorum ipsam virtutem nomenque ejus, pro nihilo ferè, reque inani reputent, affirmantque nec veram virtutem, & nec umbram quidem ejus extitisse, aut inter mortales existere, tamen contra horum desperatae ab eis virtutis osorum (quos Graeci appellant Misanthropos) aut potius sceleratum hominum sententiam, vera virtus apud hominum genus & fuit, & est, & semper erit virtus: ac proinde homo virtute praeditus, semper jus primum potissimumque habebit gaudendi insigni nomine *honesti hominis*: neque hominem vera virtute praestantem, quamvis etiam in aliquibus humanæ fragilitati obnoxium, ullus ab honestatis prærogativa & titulo amovere & abjudicare poterit, neque si contra eum orbis universus, omnesque id genus *Misantraphi* conspirarent.

Sed nihilominus quod D. Thomas advertit, diligenter considerandum est: *Multis quidem aliis rebus* (inquit) *debetur honor apud homines*, quam virtuti. Licet namque

namque virtuti summus & singularis honor omnino sit debitus , sunt tamen & multæ res alia longe inferiores virtute , quibus apud hominum genus , suus quoque honor & estimatio proculdubio debentur , ut exempli gratia , divitiae , splendor generis , eximia animi corporisque dotes , gratia apud Principes , aut inter populares , scientia & excellens ingenium , triumphi & fortitudo bellica , merita , officia , magistratus : hæc omnia celebritate & honore , etiam si virtus homini desit , apud mortales digna esse censentur. Inde certe est , quod in lingua nostra Patria honesti hominis titulus tam facile tribuitur non solum bonis probisque personis , verum etiam suo modo & aliis fortasse vel probitate destitutis , hominibus tamen , qui vel divites sunt , vel clari genere , vel docti , vel fortes , meritis in Republica conspicui , licet quandoque virtutis expertes. Præsertim vero secundum vulgarem opinionem , divitiarum excellentia facit hominem honore dignum , & nomen honestatis ad eum transfert , inquit D. Thomas. Et hoc quidem sensu accipienda sunt verba Eccl: 11. *Paupertas & honestas à Deo sunt.* Item ibidem : facile est in oculis Dei honestare pauperem : ubi ut paupertati opposita honestas , rem familiarè commodam opesque

opesque significat. Inde jam venit in consuetudinem dicendi, hunc hominem non esse natum honesto loco, id est non esse divitem aut nobilem: alium quempiam vili tegumento corporis amictum, illiberaliter educatum, ac proinde è numero honestorum hominum, hoc est ditiorum, & nobilitate insignium, segregandum. Inde denique fieri solet, quod nonnulli etiam impii ac perditii homines, fallaces, mendaces, proditores Patriæ, Legum Divinarum ac humanarum prævaricatores, dummodo nullo infamiae publicæ decreto sint notati, possunt audacter asseverare, sæpiusque dicere de se gestiunt, ut id quotidie observare licet, sum homo honestus; hoc est non mendicabulum, non fordes & fæx urbis: maximeque tales se offensos putarent, si eis aliquid honoris & existimationis publicæ detractum aut denegatum foret. Neque id immerito facere videntur. Cur ita? nam licet virtute careant, tamen præferunt alia, *quibus apud homines debetur honor*: habent nimirum opum copiam, auctoritatem, potentiam, intrepidum animum, rerum singularem peritiam, honore & cultu apud homines, juxta humanam opinionem res dignas. Ego quidem huic opinioni & consuetudini non eo inficias. Sinamus eos gaudere nomine,

ut

ut illis collibet honestatis : quod tantoque magis istis hominibus recusandum non est , qui præstant fortitudine militari , qui data occasione , ubi res de eorum honore agitur , declarant ac personant esse se honestos homines , quo intelligi volunt , vel cum discrimine paratos se esse ad suum defendendum honorem : & hi profecto generosi viri , sunt honesti apud homines , veneratione honoreque digni.

Sed ut verum fateamur , talem nimis-  
rum honestatem seu dignitatem , claritudi-  
ne sanguinis , facultatibus ingentibus , na-  
turæ præclaris dotibus , impavidi robore a-  
nimi audaciaque partam , virtute vero spo-  
liatam , parum aut nihil etiam in commu-  
ni hominum opinione valere. Imo vero ta-  
les *honesti* , minime in hac sola laude con-  
quiescunt , sed potius aut veram virtutem  
assequi , vel saltē speciem ejus procari aut  
præferre gaudent.

Mitto ergo hanc è fonte illustrium na-  
taliū , potentia , eruditio nis , fortitudi-  
nis , aliarumque rerum similiū profuen-  
tem honestatem , istud hic duntaxat qua-  
tro , *in quonam Philosophi nostræ etatis , bi-*  
*inquam , honesti homines , in quo hac nova*  
*eorum Religio , honestatem hominis colloca-*  
*re soleat ? Deinde investigabo , in quo ho-*  
*nestas*

*nestas Christiana constituenda sit?* Unde profecto tanquam sua sponte hæc superius jam proposita veritas promanabit, quemlibet, non solum honestum hominem, verum etiam honestum esse Christianum imprimis oportet.

## §. II.

*Animadversio de Philosophis.*

PHilosophi, (non de Philosophis, qui sapientiam cum religione rite coniungunt, sed de solis Philosophis hostibus Religionis Christianæ loquor) Philosophi inquam, sunt Doctores hujus honestorum hominum Religionis. Hæc etenim Sacra Scripturâ, Evangelio, Apostolis, & Patribus Ecclesiæ rejectis, Philosophos veteres ac quosdam recentiores pro suis propriis adoptavit Doctribus. Isti jam continuo in vulgus spargunt, affirmantque, virtutem & honestatem, à nemine melius, quam ab iis doceri posse, imo præter eos solos neminem intelligere, quid revera honestas virtusque sit: at enim verò plus adhuc de se ipsis celebrant & divulgent, quod illi soli & universum genus humanum, & omnia Imperia, Regna, Principatus & Republicas felices reddere, & ad quam optimam gubernationem rerum omnium

mniūm stabiendam iisdem illi soli opitulari possint ; id quod , juxta eos , nec Christiana Catholica præsertim religio , nec ex hac Religione ullus sapiens , qui ut Catholicus cogitet , efficere possit . Hanc igitur præcellentem de se nobis opinionem iniciunt , quod illi soli sint morum & virtutum magistri , Dei præcones , Fundatores Religionis , Instauratores Regnorum & Imperiorum .

Mea igitur interest præmonere ista lecturos , quod quoties mentio hic sequetur de Philosophis , aut res nobis cum illis erit , intelligenda hæc non sint , quæ dicemus , neque de Philosophis , neque de Philosophia , quæ in morum doctrina è sanis & rationis & religionis fontibus puræ lucem veritatis derivat , sed de illis duntaxat Philosophis , quorum menti reapse aut superbia & arrogantia , aut brutæ libidines , aut alii vitijs motus affectionesque animi , aut non prudentia , sed versutia & calliditas politicorum hominum , quasdam tenebras offuderunt : qui religionem , ut ut vulgo continendo utilēm , sed in sapientum mores Principumque consilia influere vel negent , vel nolint . Summa autem temeritate opus est , ac incredibili clarius dicendo stultitia , bona sanaq; Philosophia id nolle tribuere , quod & illa

fua

sua luce mentes hominum ad Dei cognitio-  
nem , ad virtutis bonorumque morum ex-  
cellentiam conduceat ; \* sed non in Schola  
Machiavelli , Spinoſæ , Hobbii , Pompona-  
tii , Boulainviliers , Tollandi , Brukeri , Bai-  
li , Arrouet-Volteri , & centenorum iisdem  
discipulorum ſimilium.

Sunt

---

\* *Ne malevolentia , ne malignitas , cum hoc  
loei de Philosophis agitur , ea mihi , quæ  
minime de iis cogitem , imo contraria meæ  
de sana Philosophia ſententia fortaffe ap-  
pingant , excerpto data opera , è recenti eo-  
que utilissimo ſapientis omnino ſcriptoris  
de Educatione publica opere , P. II. Art:  
XVIII. de Philosophia judicium ejus ſane  
prætantissimum , cui non affentiri , nefas  
eft , dum de sana Philosophia , non de ſu-  
perbo Philofophorum Ethnicorum , Thei-  
ſtarum vel Atheorum ſpiritu intelligatur ,  
qui ſoliuſ humanae rationis viribus , Re-  
ligione & revelatione rejecta , omnia tri-  
buunt , nihilque è Socinianorum principiis  
etiam in Religione admittendum volunt ,  
cujus claram & evidentem ideam ſibi in-  
telleſtus formare non poſſit , quoque huma-  
na , adſo circumscripta , atque etiam in  
cognos-*

Sunt sane & in veteribus Philosophis  
Ethnicis, qui & ante & post captam Re-  
ligionem Christianam floruerunt, elegantia  
ad virtutem incitamenta; quanquam saepius  
miris portentosisque de Deo & de ipsamet  
virtute, permixta & infecta erroribus. Quid-  
quid mali in iis est, à nobis reiiciendum  
C est,

*cognoscendis vel obviis naturæ rebus adeo  
imperfecta, & debili, ratione non capi-  
ant: ac Religionem rationi cedere oportere,  
impie perinde ac falso affirmant. Nam  
cum Fides sit virtus supra naturam, &  
ut Donum Dei, superioris longè ordinis  
naturali ordine rationis, justius proinde  
est, rationem humanam, Divine Fidei,  
cedere oportere.*

Titulus jam, hujus quem excerpto ar-  
ticuli, talis est: *De l'esprit Philosophique.* Dicendum est paucis juventutis collu-  
strandi gratiâ, quid designet hæc notio:  
*l'esprit Philosophique:* nam qua latina  
voce istud exprimas, forte non facile aut  
non satis reperias. Latinis veteribus ut  
hæc fortasse ignota idea, ita non usitata  
& ista dicendi ratio, spiritus Philosophicus.  
Mallet forte quispiam dicere de mente  
Philo-

*est, quidquid boni, id nostrum est, uti  
ait Philosophus & Martyr Justinus : quæ-  
cunque apud omnes recte dicta sunt, nostra  
Christianorum sunt.*

Sed diligenter id qnæso animadver-  
tamus ; isti scilicet nostri sæculi è Religio-  
ne honestorum hominum Philosophi quali-  
busnam

*Philosophica aut Philosophorum , aut vero  
de genio Philosophiæ , de genio Philo-  
sophico : cum genium , animum cuiusque  
esse , tradant Plato , Cicero , aliquæ Phi-  
losophi , cui & divinitatem quandam tri-  
bui voluerunt. Adhuc l'Esprit Philoso-  
phique dici potest , natura Philosophiæ ,  
vis Philosophiæ , vel brevius , Philosophia  
ipsa. Attamen si Titulus Articuli hujus  
de l'Esprit Philosophique , ita verteretur  
latine : de vi Philosophiæ , de natura Phi-  
losophiæ , de mente Philosophica , de ge-  
nio Philosophico , non satis adhuc notio-  
ni huic de l'Esprit Philosophique respon-  
derent hæ voces.*

*L' Esprit Philosophique est id , quod  
quasi quidam succus è Philosophia extrahit-  
tur , ut è vino , oleo &c. quidam elicitor  
spiritus : Atque ut Corpus sua anima seu  
spiritu,*

busnam se se ipsos tradiderint, qualibus & nos tradere & omnino subdere velint, cæca quadam ratione, Doctoribus ? animadvertemus inquam, utrum hi Ethnici veteres, insignesque Philosophi ( florentium etiam hac tempestate plerorumque Philosophorum Magistri ) qui mortalibus tantopere virtutem

C 2

tem

*spiritu, ita sapiens tanquam spiritu Philosophia animatur, totus Philosophiam spirat, consiliis ejus & principiis in omnibus regitur.*

*Si jam denique l'Esprit Philosophique, essentiam Philosophiae dices, Quintilianus non ægrè ferret: multa inquit ex Græco formata, nova sunt, ut ens & essentia: quæ cur tantopere aspernemur, nihil video, nisi quod iniqui Judices adversus nos sumus, ideoque paupertate sermonis laboramus. Non desunt testes, Ciceronem hac voce usum fuisse, & subdiddisse statim, licet nobis, novis rebus, nova nomina imponere.*

*Sed denique quid mali sit non video, si simpliciter voces has de l'Esprit Philosophique vertamus ita latine: de spiritu Philosophico? si enim Cicero dixit, Poec-*

tas

tem commendant , digni undequaque sint, qui nobis tradant virtutis honestatisque præcepta? Difficile quidem est istorum omnium priscorum sapientium ingenia res indolemque describere , neque hic hujus rei est locus. Innuamus duntaxat aliqua de aliquibus.

Lycurgus

tas divino quodam afflari spiritu ? cur *de Philosophis dici non possit* , eos afflari quodam Philosophico spiritu. At quocunque jam nomine velis , id profecto , quod *de bona & sana Philosophia recte sentiendum est* , nemo fere , authore præfati libri , brevius ac præstantius complexus est . his ferme verbis :

„ Id quod , inquit , verè facit Philosophum , & cum longè supra vulgus extollit , secernitque à populo , non est certe , quod sciat omnes syllogismorum leges , quod norit Systemata omnia , quæ conentur mundi ordinem definire , quod omnia argumenta calleat , quibus quæstiones aut propugnet aut oppugnet Metaphysicas , sed quod nihil absque causa & ratione admittat , quod non acquiescat in notionibus fallacibus , „ quod

Lycurgus Philosophus & Legislator insignis, qui fere sublata agriculturā, omnem in Spartiarum Republica Juventutem ad arma duntaxat militaremque vitam effingit & format, omnem commeatum & alimoniam, raptō, cædibūs, vastandisque vicinorum agris, quærere Sparthanos, atque in-

C 3

furtis

„ quod exakte certi , probabilis & dubii  
 „ definiat limites , quod non verbis , at  
 „ rerum momentis convinci se sinat, quod  
 „ nihil qualitatibus occultis explicet. Ta-  
 „ lis est genius aut Spiritus quidam Phi-  
 „ losophicus , vel ipsa Philosophiā supe-  
 „ rior , cuius est ille effectus & scopus.  
 „ Non pendens ex opinione & more , ac-  
 „ commodatus ad omnia , omnibus utilis.  
 „ Ille est , qui produxit hoc sæculo in  
 „ lucem tot præstantissima virorum sapi-  
 „ entum opera. Ille est , qui doctrinæ  
 „ morali majorem quandam persuadendi  
 „ vim præbet , Historiam veriorem & ad  
 „ instruendos homines magis idoneam effi-  
 „ cit ; Theatris ipsis , quo sint utiliora,  
 „ invigilat. Ille est , qui omnibus in  
 „ Gentibus , Principes , Optimates , ma-  
 „ gnosque viros affabiliores , Populum se-  
 „ curiorem

furtis dextrè committendis , eos à teneris exerceri jubet ; Adolescentibus , præterquam nescio qua sera ætate inire connubia vetat , describitque ut videtur occultius , plane tamen impudentissime , regulas , modosque obscenos & execrabilis , quibus interea brutas corum libidines fæde exsatiare possint.

Uxores

„ curiorem sui , humaniorem militem ,  
 „ sacerdotem Civem , Magistratum doctio-  
 „ rem reddidit. Ille est , qui propemo-  
 „ dum jam extinxit ardorem fanaticum , &  
 „ furori Civili arma eripuit : qui Judicia ,  
 „ quæ olim per aquam ferventem , per cru-  
 „ cem ignitam , per duella , fieri solebant ,  
 „ procul expulit. Ille est qui astrologiam  
 „ judicariam , sortilegia & sortilegos dis-  
 „ sipavit. Si ille administrante res Gal-  
 „ liæ Cardinali Richeleo , ita ut hodie  
 „ prævaluisset , Urbanus Grandier , & in-  
 „ felix Mareschalci d'Ancre conjunx , flam-  
 „ mis non fuissent consumpti. Ille potest  
 „ æque aliis nos liberare erroribus , qui  
 „ superfint in Jurisprudentia , in admi-  
 „ nistratione ærarii Publici , in politice ,  
 „ in opinionibus Scholasticis , & Dispu-  
 „ tatio-

Uxores eorum deinceps vult esse commutabiles & communes. Pudorem nobis cum natura infusum sublata cum amictu omni verecundia tollit , in Palestra, in Ludis Gymnasticis luctisque , sexu utroque permisto.

Quid tamen apud nostros Philosophos nunc frequentius , quid sanctius , quid divinus

C 4

„ tationibus , è quibus portenta illa con-  
„ vulsionum enata Regnum convulserunt.

„ Quamdiu Philosophiæ confundetur  
„ Spiritus , cum nescio qua Philosophia ,  
„ quæ non illustrat nec perficit huma-  
„ num Genus , errabitur semper. Multi  
„ Geometræ , Geometrico , multi Juris  
„ periti , vero Legum , multi Philosophi ,  
„ vero spiritu Philosophicô carent.

„ Collegiorum Philosophi ! sentiatis  
„ oportet , quam ille sit necessarius in in-  
„ stituendis hominibus. Cupitisne illum  
„ in vestris formare Discipulis ? postquam  
„ illös exacta Logice , Phisice continuis  
„ experimentis detecta , Methaphysics lu-  
„ ce , exhibitis per Clarkium regulis cri-  
„ ticæ præmunieritis , formate eorum ju-  
„ dicia , circa res hominum ordinarias ,  
„ præsertim autem illis legendo Histori-  
„ am,

vinius severis Lycurgi Legibūs? Ex quidem, quæ ad auri, argenti, omnis luxus, deliciarum in mensis, ac effeminatae molitiae contemptum tendunt, quæ laboriosam & durissimam Juventutis Institutionem præcipiunt, quæ charitatem ut inter fratres, inter cives Laconas coaciliant mutuam, ne-  
xibusque

---

„ am ; asuefaciendi sunt ad discernenda  
„ falsa à certis, veroque similibus. Pote-  
„ runt credere Vespasianum imposuisse  
„ tributum ex urinis , quamvis modum  
„ hunc augendi fisci tantum Imperatorem  
„ excogitasse , plane singulare & ridicu-  
„ lum esse videatur : sed non credent cum  
„ Dione & Suetonio , quod idem Impera-  
„ tor sua saliva cæco visum restituerit &  
„ à paralisi manu tactum sanârit. Distin-  
„ guent credulitatem Populi , ab assensu  
„ intellectus convicti , obedientiam Legi-  
„ bus debitam à mancipiorum servitute ,  
„ superstitionem à Religione; Quando  
„ perlustrabunt animo diversas virtutum  
„ imagines , secerent veras à fictis, & co-  
„ nomum ab avaro , liberalem à prodigo,  
„ justum à truci , publicanum honestum  
„ à peculatorc , Magistratum à vano le-  
„ gulegio,

xibusque firmissimis stringunt, ex inquam  
Lycurgi Leges quin sint saluberrimæ perin-  
de ac laudabilissimæ, quis inficiabitur? Sed  
ex, quæ justitiam, quæ temperantiam, a-  
liasque vitæ civilis virtutes, ac cum exte-  
ris vicinisque pacem, permisso extra rapi-  
nis, domi furtis & libidinibus, penitus ener-  
vant

C 5

„ gulegio , heroem à furioso. Dijudica-  
„ bunt , qui Regum , magni revera merea-  
„ tur nomen , qui cuidam Populo seu  
„ Gregi Regum accensendus. Geminos  
„ duntaxat oculos cæteri habent hominum,  
„ centenos Philosophus , monstrum iis esse  
„ videtur , qui non nisi binis vident; qui  
„ cum timent , sanci nesciunt , quā m sit  
„ utilis Philosophicus Spiritus nationum  
„ , Ducibus & custodibus.

*Hæc brevibus at præclarè dicta sunt  
de dignitate , necessitate & utilitate Phi-  
losophiæ. Præclarissimis his de ea judi-  
ciis , quis non assentiatur libenter ? dum  
Philosophus à Religionis spiritu , Spiritum  
Philosophia non separat , nec audaciam  
ac impietatem suam divina nostræ Reli-  
gioni opponat , dum , qua prima res esse  
omnino debet sano cuivis Philosopho , hanc  
prorsus*

vant & tollunt , sapientiam & æquitatem Legislatoris omnino desiderant.

At enimvero, qui ut Lycurgus, militarem tantum formabunt Rempublicam , aliis profecto , quam Lycurgi legibus & moribus ejus Juventutem non imbuent. Religio , castimonia , iustitia à cupiditate & præda alieni

---

prorsus primam & semper primam bone Philosophia conditionem adimpleat , tendat scilicet imprimis totaque mentis contentione ad cognitionem Dei , qui unicum principium & finis supremus est hominis , dum cultum omnem tam internum , quam externum Deo debitum , ac obedientiam Legibus Divinis necessariam & profiteatur ipse , & profiteri Genus humanum doceat , nec res Divinas & Mysteria rationi , sed rationem lumini Religionis submittat . Nam ut sola superba Philosophia , quæ inflat , quæ Dei sit immemor , aut veri cultus ejus contemptrix & hostis , absque luce & ope Divina suis duntaxat viribus , tantarum ut diximus rerum operaria sit , & sola humana felicitatis artifex , id Athei , id Theiste , id Bailii affirmant , non Catholicus ullus Orthodoxus

alieni abhorrens, commiseratio super mortaliū miserīa, lachrymarum, sanguinis humani, & cædum horror, iræ temperatio, vindictæ moderatio, sobrietas, pietas, & idgenus, non erunt unquam propriæ virtutes bellicæ, quamvis esse possint boni suamet natura Imperatoris militisque virtutes. Lycurgi eas Legibus non præcipient. Victoriae ac Provinciæ citius per omne nefas, quam per fas quæruntur & obtinentur; Lycurgus ergo quælescumque condat Leges pro militari Republica, dummodo eam formidabilem reddant, quamvis latissimam depravationi mōrum aperiant viam, erit semper Philosophorum & Legislatorum celebrissimus, sed an mōrum magister optimus?

Pythagoras Philosophorum & Legislatorum celebratissimus, non tam Inventor Metempsicōeos, eam enim à Sacerdotibus Ægyptiis viginti duos annos inter eos mōratus, didicerat, quam propagator ridiculæ hujus

*xns Philosophus: Dum jam iste hac explicatione nostra de Philosophis, contentus sit, ceteri ut libet hac nostra, agree molesteque ferant, irascantur iis, stomaticentur, per me licet, etiam contemnant, explodant, per me licet.*

hujus opinionis fuit, quæ post eum omnium fere Philosophorum sectas occupavit. Solide demonstravit Varburton, excellens summos inter hac ætate Philosophus, Pythagoram non intendisse docere nec docuisse *Metempsicosim Moralem*, sed duntaxat *Physicam*. *Moralem* intelligit, quæ in poenam & purgandorum causâ criminum humanas animas etiam in vilium animalium corpora migrare docebat: *Physicam* vero, quam Pythagoras suam fecerat, nihil docuisse aliud, quam quod animæ omnes, quæ erant particulæ à Deo emanantes & avulsæ, mox ut morte à corporibus separantur, in alia corpora perpetuo migrant, & ad eadem denique, quæ olim animarant, redeunt: cum in nihilum nihil redigi queat, juxta *Physicum* illud principium, *in nihilum nil posse reverti*: transmigrant ergo animæ juxta Pythagoram, non ut luant culparum pœnas, quas ille nullas admittebat, sed ut duntaxat fatali Providentiæ & naturæ ordini respondeant. Cujus hac de re sensa Ovidius in *Methamorphosi eleganter exponit*, cum Pythagoram Crotoniatas alloqueretur ita inducit:

O Genus

psicosim confirmabat exemplō. Fundator florentissimæ Pythagoreorum Sectæ.

Socrates, primus ille ac præstantissimus magister morum, qui omnes alias Philosophiaæ partes contempserat & rejecerat, solâ tantum pro suis Atheniensibus Ethicâ seu Schola morali suæ Sectæ apertâ ; qui ab oraculo Delphico, idest ab aliquo vaferrimo augure proclamatus fuit, Græcorum omniumque mortalium sapientissimus : sed quæ ejus vitæ ratio? quæ morum exempla? Si tantum id de eo verum esset, quod legimus in Laertio, *Socrates optimus è paucorum bonorum numero, sed è magno hominum numero superbissimus ac vanissimus*, quod ipsum eidem audienti Aristophanes & Ampses exprobabant; hoc certe de eo testimonium satis explicat, qualis superbi hujus arrogantisque morum pædagogi, perinde ac cæterorum Philosophorum, virtus fuerit. Aspasia & Teodota prostitutæ publicæque urbis, ejusque meretrices, privatam ejus incontinentem vivendi rationem sæculorum memoriae prodiderunt. Alcibiades, clarissimis natalibus adolescens, ab eo educatus, sed hic plura non ausim dicere : fæda nimium eiusvis hominis nedum Philosophi turpitudo. Plato ejus Discipulus, qui in suis Libris de Republica Magistrum suum Socratem

Philosophica superbia , genuinus Socratis discipulus : & qui in sua illa perfectiones omnes complexa , ut rebatur, Republica, non tantum impudentem uxorum commutationem & communionem , ac quidquid in natura possit esse turpius & detestabilius, Præceptoris sui Socratis auctoritate inducere conatus est , verum etiam Dominis suos servos & mancipia , Maritis vero minus formosas uxores & Liberos difformes occendi , absolutam potestatem concessit ; Mutilos vero , prorsus diu infirmos , quorum valitudinis spes sit omnino dubia , membris contractis aut dissolutis ad agendum ineptos , occidi , ne sint oneri Civibus & Re-publicæ , Philosophi Legislatoris auctoritate jubet. Ejus placita sunt ista , *non oportere Populum vera de Deo doceri* : ut vero de animabus hominum philosophabatur dicemus inferius. Cum doctrina item Platonis de uno Deo , quam palam tradebat , quomodo cohæret , id quod de eo D. Augustinus testatur : *De uno Deo qui fecit Cælum & terram* Plato & Platonici , quanto melius senserunt , tanto ceteris glorioſiores babentur. Sed hi omnes , & ipſe Plato Diis plurimis Sacra facienda putaverunt. Et revera in suo Timæo , Saturnum , Jovem , Junonem inter Deos numerat. In Libro de Rep: multos Deos

Deos nominat, quibus pro prospero Reip: statu supplicationes & Sacrificia facienda jubar. Quam turpis & minime Philosophum decens contradic̄tio? docet Deum unum, & plurimis Diis falsis cultum victimasque assignat. Sumite jam illum pro Fundatore Rerumpublicarum, pro Instituto præclarissimo Juvenum, & Instauratore morum, pro divino Philosopho, & præstantissimo Philosophiæ Inventore & Principe. Quanquam recusandum non sit Platonem cæteris melius de Deo sensisse, & *externis* id est Populo Religionem sedulò commendasse, ac de virtute multa præclare scripsisse. Sed de Platone inferius plura.

Aristoteles profligatissimorum à quibus natura abhorreat morum, quos vel memorare turpe sit. Quo ad ejus Philosophiam: materiam mundi, prorsus Deo *coœvam*, seu *coætaneam*, ut Tertulliani voce utamur, scilicet Deo, & in æternitate, & in eo, quod nullum præterquam à se ipsa principium *existendi* habeat, æqualem, ac à Deo non dependentem docet. De animabus, paucis immutatis, idem fere quod Plato ejus magister somniat; Providentiam Divinam in *Individuis* penitus tollit: clare ita affirmat, quod post mortem sperandum nihil, timendum nihil fit homini. Hæc cine sunt excellē-

lentia incitamenta & illicia ad virtutem morumque continentiam, quos quam optimos in sua commendat Republica.

Epicurus naturæ monstrum, qui omnem Dei notionem data operâ abolet, è fortuito atomorum concursu, universum hunc mundum cum Democrito conflat. Supremam, ad quam satus sit, felicitatem hominis, in omnibus corporis voluptatibus, ac in pace lætitiaque animi, virtutibus ad societatem humanam necessariis non destituti, collocat. Totius vitæ decursu omni appetentiæ & libidini more pecudum indulget, & eandem vivendi rationem omnibus prædicat. De anima hominis, quod cum halitu & sanguine, ut in Brutis dispereat, generi humano persuadere nisus est: quemadmodum hæc ejus placita discipulus illius fidelis impiusque perinde Lucretius, abundè prosequutus est, cuius adminiculo Schola etiam hodie plororumque hujus ævi Epicureorum floret.

Zeno Epicureorum, suorumque Stoicorum coryphæus, cætera inter absurdâ hoc statuit: hominem nulla ratione esse liberum, sed cum vel ad virtutem, vel ad quævis flagitia fatô quodam excitari & omnino trudi compellique: de æqualitate præterea omnium quotquot sint criminum ita

philoso-

philosophatur : omnia nempe peccata aqua-  
lia esse , ut Parenti guttur frangere perin-  
de sit ac gallum gallinaceum vicino occi-  
dere. Apud illum uti & apud Platonem ,  
*noster animus Dei pars est & Deus , Dei  
membra sumus.* Seneca.

Apud Seufippum percarum Platonis Di-  
scipulum , apud Chrysippum , apud Anaxa-  
goram , nullus Deus est. Apud Pyrrhonem , &  
hæc ipsa res dubia , quod ego sim homo ,  
quod extiterit meus Pater , quod ego in  
mundo existam : ut sensa ejus Poeta expri-  
mit : *Et sunt quæ , Lyce , cernimus ? an  
longi trahitur fabula somnii ? an nos ludi-  
mur ? an suam rerum pictus habet vultus  
imaginem ?*

Diogenes ab his ipsis , qui cum eo vixer-  
e , portentum contra naturam , Cynicusq;  
a canibus appellatus , quandoquidem cani-  
no more impudentiam in genus humanum  
inducere , cum doctrinæ tum suomet est con-  
natus exemplò. Superbissimus vanissimusque  
homo , a Platone derisus : Philosophorum  
tamen celebratissimus , ac paupertatis mul-  
tarumque virtutum admirabilis cultor , &  
Philosophorum archetypus appellatus.

Aristippus Philosophus Dionysio Siculo-  
rum Tyranno perquam carus , eique præci-  
puus a consiliis , appellatus a Diogene ca-

D 2 . nis

nis Regius : cum ei exprobraret Rex, numeros à se per eum vili adulacione emungi , respondit : cum carerem virtute , Socratem, cum careo pecunia , te frequento. Consilium profecto egregium. Cinædorum in aula notissimus , ita palam docuit : nullum crimen ulli hominum esse debere pudori aut dedecori , quidquid enim pro appetentia naturæ homo identidem agit , id vituperari non potest. Elegantissima ad mores corrigendos regula !

Sanè perbellum & illud Anaxarchi consilium , Principibus inculcatum , avidèque ab eis arreptum : *quidquid Princeps agit , legitime iusteque agere censendus est.* Fortunatosne ac felices populos tale reddit principium ? Verumne jam est , quod initio cum Cicerone diximus , *nihil tam absurdè dici potest , quod ab aliquo Philosophorum dictum non sit , sive ad Divina , sive ad humana respexeris.*

### §. III.

#### *Continuatio de Philosophis.*

**S**ed tot aliorum ineptiæ aut insaniæ hoc loci recenserine possunt ? nemo probior , aut ex illis isto ipso Cicerone temperantior,

ac

ac magis circumspectus , nihilominus & hic in oratione pro Cælio , quam parum verecundum , tantoque viro indignum & indecens , cum de juventutis lasciviis & libidinibus sermo illi inciderit , juxta Gentilium quidem opinionem & morem , suum prodit judicium & assensum ? Cum generatim sibi non esse adsciscendam mortem , *injussuque Imperatoris Dei non esse vitâ abeundum* , alîas affirmasset sanèque probâsset , mortem sibi sponte ultroque illatam , quam in Catone dilaudat ? paritatem omnium criminum contra rationis lucem cum suis quam acriter propugnat Stoicis ? De mercede pænave in altera vita quis minus sibi ipsi constat ? aliter enim Populo , causâ ejus in officio continendi , plurimis in locis suadet , & tam certa spe , quam certo metu futurorum videtur illudere , aliter Philosophis ac intimis familiaribusq; suis suam mentem palam aperit , cum omnia , quæ timentur vel sperantur post mortem , prorsus ad aniles amandet fabulas . In Deo nullam esse scientiam futurorum , nullam rerum prædictionem contendit Cicero : confiteri esse Deum , & negare præscium futurorum , apertissima insania est . Verba sunt magni Augustini de Cicerone .

Seneca , quantum scriptis lumen & gloria , tantum rebus ab eo gestis & ratione virtutæ , Philosophiæ probrum , avarus , Pro-

## 54      §. III. ANIMADVERSIO

vinciarum oppressor & hirudo , turpis cinctus , insatiabilis opum helluo , Imperatori perfidus , cuius Tronum subvertere nititur , ut ipse occupet , parricidii Neronis in matre Agrippina commissi conscius & complex . Post tam eleganter solideque toties tum in Epistolis ad Lucilium , cum in omnibus suis Philosophicis lucubrationibus traditam ab eo , de Deo uno doctrinam , ante ipsam mortem coram Jovis Statua offerendum thus mittit . Præmia bonorum , malorum æterna supplicia penitus aperteque deridet & tollit .

Sed ne longiorem texamus horum Philosophorum indicem , quos sibi magistros Theistæ & honestorum religionis Philosophi allegere , finiamus Pauli & Augustini verbis : *Cognoscentes Deum non sicut Deum glorificaverunt , aut gratias egerunt , sed evanuerunt in cogitationibus suis , & obscuratum est insipiens cor eorum , dicentes enim esse se sapientes , stulti facti sunt . Ubi & Romanos & Græcos & Ægyptios Philosophos , qui de sapientia nomine gloriati sunt , Paulus fecit intelligi . Aug. de Civ. Dei . Et idem Doctorum summus , cum ea verba Christi : qui non intrat per ostium , fur est & latro , meditatus fuisset , quam sancte sapienter que dehortatur Christianos , ne indiscriminatim audiant Philosophorum voces , nos se-  
cundum , secundum , secundum modum modum qui-*

*quimini, nos vobis viam ostendemus virtutis, non intrârunt inquit per ostium , fures & latrones sunt , non pascere , sed volunt mandare & occidere. Semper hæc non de sa- næ Philosophiæ sectatoribus , & veri cultori- bus , sed de iis oportet intelligi , qui li- bris sermonibusque impiis religionem omnem proinde necessario & mores labefactare conantur, quò, cum Augustino loquendo , majus in regnis Rebusquep. latrocinium excogita- ri non potest.*

En jam vero fontes , pro honestis nostris hominibus , virtutis & Religionis , en ejus columina , morum magistros , Regnorum & Rerumpublicarum Instauratores. Qui velit una duntaxat , eaque præstantiore parte nu- misma illo um ostendere , pulcherrima vir- tutis præcepta & commendationem in iis re- periet : præstabilius nihil corum de virtute judiciis : sed qui idem alteram in partem vertet , ac plurima quæ horrorem incutiant , in eorum philosophandi ratione , flagitosisq; vitæ exemplis detexerit , multum conceptæ de iis opinionis ac existimationis diminuat dstrahatque oportet.

Gratias enimvero antiquitati habemus quam maximas , quod eadem fide ac diligentia posteris conservârit , & quæ ad laudem glo- riæ sapientiæ ac virtutis in veteribus

observavit Philosophis, & quæ in iisdem, præsertimque in corum vitiosis moribus disciplina pravisque exemplis vituperatione digna & absurdia notarat, quasi de manu in manum ad notitiam succendentium sacerdotiorum, nostramque perduxerit. Testes enim sunt horum, quæ de illis mox duntaxat innuimus, & proprii ipsorummet Philosophorum, qui præ oculis manibusque sunt, Libri, & ab aliis descriptæ antiquitus Philosophorum vitæ, ac de præcedentibus posteriorum judicia; quæ quantum laudis hinc iis tribuunt, & admirationis excitant, tantum inde existimationi bonæque de iis opinioni jure merito derogant, cum eorum aut crima & intemperantissimam vitæ licentiam, aut insanas opiniones memoriæ produnt.

Non est profectò idem de nostris veteribus, verèque Christianis Catholicæ Ecclesiæ Philosophis, de quorum ut doctrina morum, ita & de vitæ eorum innocentia ac sanctimonia, spectataque semper in iis virtute, nobis indubitanter constat. Quid enim mali, quid non religiosi, quid impudentis, lascivi & libidinosi, quid avari, quid intemperantis, quid superbi & vani, quid non moris severi ac intaminati reperias aut legas, aut audias de illis post sanctos Apostolos

los sapientissimis nostræ Religionis Doctoribus? quorum doctrinæ eminentis Bibliothecæ plenæ sunt; de illis inquam, Ignatio, Clemente, Justino, Irenæo, Origene, Tertulliano, Minutio Felice, Dionysio Alexander, Gregorio Taumathurgo, Ammone, Cypriano, Eusebiis, Lactantio, Athanasio, Basilio, Gregoriis Nanzianzeno & Nysseno, Hieronymo, Cyrillis, Chrysostomo, Hilario, Hosio, Ambrosio, Augustino, Epiphanio, Dydimus portento ingeniorum cœco, Sulpitio, Innocentio, Orosio, Theodoreto, Fulgentio, Gregorio Magno, Isidoro, Anselmo, Bernardo, Thoma Aquinate, Bonaventura &c. &c. sexcentisque aliis ingeniorum prodigiis, quæ profecto in multis corum, Socrati, Pythagoræ, Platoni, Aristoteli paria, sed constantissima eorum sancte vivendi, rigidique moris ratio, certè non eadem. Fuerunt isti & ore & opere veri Christiani sapientes.

Sinamus doctum Barbeyrac maculas & errores in lucubrationibus Doctorum Ecclesiæ anxiè curiosèque conquirere; si fatemur excessisse forte quosdam modum, præsertim ob nimium rigorem in re morali, sed tantum abest, morum ut relaxandorum inficiendumque causa meditati sint aliquid aut scripsierint, ut potius nimius quidam in non-

D 5

nullis

nullis eorum uti Tertulliano, & Origene amor virratis excesserit, & severioris disciplinæ studiō longius quam par erat abrepti fuerint: quorum aliqui, illa quæ eis incautè circa dogma aliquod nondum satis illustratum potius, quam circa morum doctrinam, elapsa sunt, retractare, atque etiam emendare, non pudori sibi, sed officio modestiæque duxerunt. An non facilis itaque parcendum est istis, qui vel in dogmatis alicujus nodo nondum tum satis discusso, nondum evoluto definitoque exercerârint, vel qui nimium quid in dandis virtutum præceptis a mortalibus exegerint, quam illis, qui crimina & scelera data opera & Scriptis & exemplo homines docuerunt? quæ cum nos de veteribus justè verèque memoremus Philosophis, ex Libris vitiisque eorum evidenter patentia, opponat Barbeyrac seu quisquis alius corruptos, vitiulos, libidinosos, infamesque mores & doctrinam his nostris Christianis Philosophis. Iстos ergo, nos Christiani Catholici duces, istos Magistros, istos Præceptores virtutis & Religionis, & longissimè quidem priscis Ethnicis, si qui commendent virtutem, non merito præferamus Philosophis?

Interea nihil esse puto nobis Christianis indignum, aut nefas nobis esse, ex eorum quoque

quoque lectione etiam sanctis Patribus nostris familiari, aliquid emolumenti trahere, ubi illi, quo ad fieri potest absque erroribus veritatem aliquam naturali detegunt rationis lumine, & ad virtutis studium genus humanum cohortantur.

Non est autem hic locus probandi, quod sole clarus probari solet, totque monumentis veterum & recentiorum jam probatum est, Philosophiam priscorum innumeris ac turpissimis contra cognitionem veri Dei, & contra morum regulas scatusse erroribus: Philosophiam vero, quæ recte undequeaque, ut par est, de Deo sentiat, & undequeaque sanam morum tradat doctrinam, non à sola mente hominis, sed à Religione & revelatione vim summam duxisse; *Platonicos* autem præsertim, quos primis Ecclesiæ faculis vocabant *Recentiores*, quidquid melius de virtute dixerint, e fontibus Christianis hausisse, ut id Augustinus magna parte sui Operis de Civitate Dei abunde evidenterque probavit.

Memorabiles sunt sub finem secundi saeculi illi Philosophi Ethnici, quorum secta tribus amplius Saeculis luctata est cum nostra Catholica Christiana Ecclesia: appellabantur illi ut mox diximus *Recentiores Platonici*, maxime illis temporibus noti sub *Ecclesiis*, seu *Deligentium* nomine: tale enim

enim erat eorum systema , ut , quæ docerent , deligerent ex omnibus Sectis , ac ex ipsam et Christiana Religione , quidquid in ea de moribus & virtutibus optimè scriptum observassent , excerpterent . Vocari amabant & Conciliatores Ethnicæ Christianæque Philosophiæ.

Hos Philosophos Platonicos maximus Doctor Augustinus omnibus præfert Philosophorum sectis : *Fabulosa* inquit , & *Civilis Theologiae* , cedant Platoniciſ , & alii quoque Philosophi . Nihilominus cum illis , pro Ecclesia Catholica , toto illo maximo & sapientissimo Opere suo libris viginti duobus de Civitate Dei , congreditur , & de iis triumphat .

Potamon in celebri Alexandrina Schola dedit huic Sectæ principium , ex qua ad exitum secundi Saeculi prodit celeberrimus Philosophus Ammonius Saccas , horum Platonicorum coryphæus & Princeps . Hi igitur Eclectici , Hermetis , Trismegisti , Zoroastri , Pythagoræ , Platonis , aliorumque vestitissimas de moribus præceptiones & incitamenta ad virtutem quasi è ruderibus extrahendo , simulque quamvis essent jurati Christianorum hostes , è Christianorum libris , doctrinis , perpetique cum iisdem consuetudine omnia nostra de quavis virtute

prin-

principia & præcepta hauriendo, suisque miscendo, reliquerunt nobis tam multas Institutiones morales, etiam de cultu unius Dei (cum alios duntaxat quasi Simbola, indicia & imagines attributorum Divinorum numerarent) de justitia item, de innocentia & puritate cordis, de caritate Dei & proximi, de abnegatione ut dicimus sui ipsius, de voluntate hominis ad Divinam penitus conformanda, de ferendis patienter adversis, de divitiarum contemptu, de condonandis injuriis, aliisque multis virtutibus, ut idem ipsum, quod nos Christiani de his omnibus sentire docereque videantur.

Talia inter Eclecticos legi possunt in Jamblico, Proculo, Epicteto, Tirio maximo, Chalcidio, Symmacho, Themistio, etiam in Porphyrio, maximo Christianorum hoste, in ipso etiam Juliano Apostata, qui in suis Epistolis excitat cohortaturque suos veterum Deorum cultores, ne virtutibus superari a Christianis finant, imo iis sanctiores esse fatagant.

Sed nos Christiani Philosophorum idgenus de virtute principia, consilia & monita, quasi lydio lapide istis semper probemus: quales sunt intus isti homines? quid in animis eorum lateat? modestiamne animi, & humilem, quæ veros Sapientes maxi-

me

mè deceat , de se opinionem præferant ? quæ corum vitæ innocentia , castitas , integritasque morum ? non inustine nota libidinis aut superbiæ ? an duo hæc in corum se se prodant aut vita aut doctrinis ? si enim libidinum superbizque pleni ? quales nam sunt isti virtutis Magistri ? Interea corum plurimi Socratici illi notissimique cinædi , cum tota obscurorum morum turpitudine palam in iis observata , cum illa intolera bili Philosophica corum superbia , audent nobis præcepta virtutis tradere , virtutem maximopere commendare .

Imitantur illos & nostris temporibus prævaricatores , qui Christianam Catholicam , in qua nati fuere , Religionem deseruere , Philosophi , quod sublimia quæque de virtute adhuc more Christiano scribant ; qua de re eos minime arguendos , imo potius etiam laudandos existimamus .

Possimus & nos corum , quamvis effræni vitæ licentia & superbia orbi noti , quamvis Religionis hostes sint , præceptis consiliisque , quæ tradunt de virtute , proficere : sed longè magis è lectione Philosophorum verè Christianorum , qui modestiâ & innocentia vitæ reapsè commendati , se se doctrinis & moribus prorsus ad præcepta Re vela-

velationemque Divinam in Ecclesia Catholica integerrime conservatam conformant.

Quamvis & id certissime ac indubitate affirmari possit, quod si quem Evangelium, Divinaque Christi institutio, & ejus vitæ exempla, ad amorem studiumque virtutis, & à flagitiosis moribus ad meliorem frugem non reducet, certè ex eo & optima quævis Philosophia nihil melius efficiet.

Admonitione itaque à nobis præmissâ, quod pleraque hic in Philosophos dicta, nemmo nisi interpretari malignius velit, arripe-re & explicare possit, contra sanam, necessariam, & cum Religione utilem humano generi Philosophiam, neque contra veræ sapientiæ luce collustratos tam veteres quam nostri ævi Philosophos: revertantur ad considerandam honestorum hominum Religionem.

#### §. IV.

*Homini, & ut homini, & ut Civi Patriæ, necessaria est vera & interna honestas, sed non honestas tantummodo externa & humana, qua in quibusdam duntaxat virtutibus consistit; Christianas præcipuas virtutes rejicit, peccata contra Deum ignorat.*

**U**T non fucatam, sed veram, non exte-  
riorem & ad hominum oculos tantum-  
modo

## 64 §. IV. DE VIRTUTIBUS RELIRIONIS

modo effectam , sed internam segetur & omnino curet probitatem , causam hujus rei maximam , habet homo semetipsum, id est suum propriumque sibi bonum , suam propriam felicitatem. Ex intima enim , quæ sit re , non nomine nec superficie tenus , probitate , & conscientiæ interna tranquillitas , & constans nominis apud homines existimatio , & animæ ejus cum præsentis vitæ , tūm futuræ æterna illa pendet felicitas.

At enimvero eum non nobis tantum conditi simus , nec nobis duntaxat ipsis hanc mortalem vitam vivamus , proinde ad illas , quas mox superius retuli causas , adjungendæ quoque sunt maximi momenti & aliæ , quæ nos ad hanc non apparentis , at veræ solidæque virtutis curam excitant & hortentur.

Quilibet enim nostrum humanæ societatis pars membrumque est : multa illi vel ab incunte ætate cum hominibus secum viventibus , multa vicissim hominibus cum illo intercedunt officia. Vivimus subjecti constituto in omni gente cuicunque imperio , siue Regi , sive quocunque nomine appelletur is , qui summæ ibi rerum præficitur. Quam multum igitur Regum & Principum interest , quantum hominum societatis refert , omnes

fi

si fieri posset, Cives, non externe tantummodo, sed intus & ex animo habere probos! Qui enim ad speciem duntaxat, & ad decipiendos insuetum oculos, integer vitae, scelerisque purus, videri, at non qualis videtur, talis intus esse admittitur, qualem, proh Deum! aget ille Principis sui, qualem Status Ministrum? qualem Senatorem? qualem Consiliarium? qualem Legatum? qualem Sacrorum Antistitem? qualem Judicem? qualem militarium copiarum Ducentorem? qualem suæ rei familiaris servorumque suorum Dominum? qualem maritum? qualem Patrem? qualem amicum? qualem vicium? qualem Patriæ Civem? Certe in quavis harum conditione, quovis in munere non poterit non esse deterimus. Ut inde constet, actum esse de Principe, de Republica, ubi paucissimi quidem verò & non simulate probi homines reperiantur.

Plurimum igitur refert, in tenera praesertim aetate, penitus intelligere, quantum inter sit, inter sueatam externamque, ac inter veram, internam, sinceram & Christianam probitatem seu honestatem.

Quod si igitur quisquam velit hodiernam Sæculi corrupti honestatem introspicere, intelliget profecto illam, his duntaxat geminis inniti legibus, quarum prima est,

## 66 §. IV. DE VIRTUTIBUS RELIGIONIS

ut scilicet *species saltem externa nonnullarum virtutum*, sine quibus humana honestas personam in scena bene agere non posset, summo studio procuretur; altera deinde lex est: *ut in tuendo honoris* (quod vulgo ajunt) *puncto, summa adhibeatur diligentia.* Hæc duo honestati isti sufficient, ut & qui *colorem aliquarum virtutum* habeat, & qui *honorem suum* in eo, in quo eum vulgaris hominum collocavit opinio, *constantiter studioseque conservet*, is probus omnino honestusque existimari debeat.

Spero autem fore neminem, si modo rectè judicare, animumque nullo præjudicio occupatum advertere velit, qui mihi irascatur vitioque vertat, istis me humanam honestatem definiisse limitibus: præsertim, cum quæ mox dixi, melius illustravero ob oculosque posuero. Dixi igitur: *Virtutum aliquarum*, deinde & harum aliquarum virtutum istis hominibus sufficere *exteriorem speciem* affirmavi. Loquamur jam cum primis pauca de his *aliquibus paucis* eorum virtutibus.

Certum imprimis est, hos ita dictos honestos homines, non nullas tantum virtutes in numero virtutum habere, multas vero alias verè Christianas, usque adeo ignorare, ut propemodum ne nomen quidem earum cognoscant

gnoscant, aut si cognoscant, derideant. Et ut ad præcipuas veniamus, illas sane quas Paulus Apostolus enumerat, *fidem*, nempe, *spem*, & quæ his duabus major est, *charitatem* Dei & proximi, maximas Christianorum virtutes, illi penitus oblitterarunt.

*Fidem Divinam* certè tantum abest, ut habeant, contra hanc ut potius, & vel imprimis quam acerrime pugnant; hanc in familiaribus eorum circulis & confessibus, ineptis quidem, sed impensis jocis impetunt traducuntque, ac perniciosis convellunt sermonibus: domi vero suæ, plenis impietate eam oppugnant libellis; cum interea certo certius id nobis sit, *sola fide* Christianas omnes niti virtutes.

Nec magis Christianam *spem* habent; Qui enim vel plane negat, vel in dubium revocat æternam animæ futurique sæculi vitam, is profecto spem in Dco, scilicet æternum fore ab eo servandum, nullo modo collocare potest. Revocare in dubium, supereritne mortali huic corpori animus? non est profecto istud Christi verbis debitam dare fidem, non est firmam spem æternæ salutis habere. Opinantur illi aliquando, animam nempe vieturam fortassis, & separatim à corpore permaneturam: sed hac de re, opinionem duntaxat quampiam,

## 68 §. IV. DE VIRTUTIBUS RELIGIONIS

si iis libet, admittunt, fidem certè firmam & immotam non habent. Hanc enim si invictam haberent, minime illis quoque spes, qua se beatitudine donandos à Deo confidarent, decesset. Verum si duas has virtutes tenerent, aliter viverent, essentque veri, essent fideles Christiani.

*Diligere se Deum* dicunt; ast num Deus tales amatores amat? qui neque ejus fidem profitentur, neque in eo spem suam collificant? qui ejus præcepta, illa etiam quæ in Decalogo (quem politicum Moysis commentum appellant) continentur, non acceptant, ea quoties illis collibuerit, audacter violent, qui & præmii & supplicii in futura vita æternitatem ludibriō habent, qui Scripturam & Evangelium aspernantur, qui motibus affectibusque animi & corporis laxando habenas, vitam luxuriosam & obſcænam, maximaque crimina, pro delictis iram Dei provocantibus, & pñam æternam commercentibus, minime quidem agnoscunt; quemadmodum ejusmodi sententiis pleni sunt eorum libri. Num igitur hi tales, aut Deum diligunt, aut à Deo diliguntur? Perfricta ergo fronte istud negare, data nempe esse in veteri novaque lege Præcepta à Deo hominibus, illaque rejicere, & interim amorem Dei jactare, non suntne hæc

vana

vana sine re nomina ? sed quam frustra isti se Dei amorem habere contendunt, sequens id illustrabit libelli articulus , ne charitas istorum erga Deum tantopore ab iis ja-ctetur.

*Timorem Dei* non habent ; ad illud autem : *si ego Dominus, ubi est timor meus?* respondere solent : non se servilem , sed filiorum Dei timorem habere : verum quid quæso est hic, ut dicere solemus, *filialis* Dei timor ? nempe ille in eo consistit , ne Deus, ob summum, quem à nobis meretur, amo-rem , & ob infinitæ ejus dignitatis, æstima-tionem , peccatis offendatur. Fateor , ti-more tali præstantius esse nihil. Ast enim hi, qui dicunt & docent, Deum has hominum nugas & apinas, id est peccata non curare, infraque ejus Divinam majestatem esse, tam vilis , qualis homo est , à se creatæ rei ac-tiones scrutari & observare , hi , inquam tales , quomodo ? & in quo ? cavebunt offendere Deum ? qualem nam Dei offendam , quæso, isti homines evitare studebunt ? Quan-do , & quomodo apud illos hic Dei timor in usu esse poterit ? Nullam Dei ne tem-poralem quidem pñnam , quæ hoc illos sa-lutari timore percellat , agnoscent , non pe-stem , non famem , non bellum , non ullas alias clades e manu Dei punientis profici-

70 §. IV. DE VIRTUTIBUS RELIGIONIS

sci , persuadere sibi isti solent. *Densis Olym-*  
*pus fulminibus ruat ; pudor fateri nos vetat*  
*impius , ictus ab ultrici Tonantis ire manu ,*  
*pluviasque flamas.* Hæc ita sentiendo ,  
hæc ita docendo, quid est, quamobrem Deum  
metuant ? Nec cælum promissum homini ,  
nec æternum supplicium ullum apud eos  
est , & quam aliam ob causam Deus illis  
timebitur ? Dicunt insuper , nos Deum ti-  
rannum efficere. Hæcne justitia , sine qua  
Deus non esset Deus , tirannis habebitur ?  
Ergone sola illi , ut isti volunt , superest  
bonitas , & deest justitia ? An æquum pu-  
tamus , ut pænarum tam temporalium , quam  
æternarum , quas nobis minatur , aut infli-  
git Deus , nobis rationem reddat ? Ergone  
peccant Christiani , quod Deum & bonorum  
filiorum timore timeant , & simul coram  
eo , tanquam terribili , & corrigi nolenti-  
bus implacabili Judice , contremiscant ? sed  
& de his plura passim inserius.

Virtutem *pænitentia* Christianam peni-  
tus illi ignorant , cum nos Christiani fir-  
missime teneamus sine pænitentia pro deli-  
ctis , neminem Deo carum , neminem æter-  
num esse posse felicem. Illi vero quam-  
obrem ad pænitentiam condemnarentur , quan-  
doquidem nullum contra Deum , ejusque  
præcepta agnoscent flagitium ? cum ea ,  
quæ

quæ in Scriptura vel Evangelio revelata sunt præcepta , penitus rejiciant?

*Humilitatis*, sine qua apud Christianos nullius est virtus omnis momenti , humili-tatis inquam , illi, ne ideam quidem ullam, satis sibi formant aut concipiunt. Nihil dico de humilitate , per quam Christianus homo nemini se se præfert , neminem con-temnit , novit suam mediocritatem , fragili-tatem & peccata , talis humilitatis ut dixi ; ne ideam quidem isti ullam habent. Videamus ergo si possint esse *humiles* & modesti erga homines , cum sint adeo erga Deum ipsum superbi. Christianæ enim humilitatis primum officium est , suum *nibilum* co-ram Deo agnoscere , & Dei infinitam di-gnitatem venerari , cogitare se à Deo pen-dere in omnibus , à Deo habere se omnia , demittere se , & dejici coram illo. Philo-sophi vero isti sua de se opinione probissi-mi , quid quæso hac de re cum suo Seneca sentiunt ? *id mihi* , inquit ille , *Philosophia promittit* , *ut me Deo parem faciat* ( an non hæc eadem propemodum verba erant primi illius *Luciperi* ) *Deus non vincit sapientem felicitate* , *etsi vincit ætate*. Iidem suas præterea virtutes , afferunt se non à Deo , sed à seipsis habere ; à Deo nihil orandum esse : *bonam mentem cum possis à te impetra-re* ,

## 72 §. IV. DE VIRTUTIBUS RELIGIONIS

*re, non sunt elevandæ ad calum manus.*  
 Idem. Hoc ipsum ante illum Cicero: *Morales*, inquit, *sic habent: commoditates, segetes, vineta à Diis haberi; virtutem, nemo unquam acceptam Deo retulit.* Id ne demum est pendere à Dco conditore, & omnium largitore? hæc cne est humilitas, quisquiliæ istas terræ in acceptis referre Deo, & res præstantissimas, qualis est virtus, sibiipsis tribuere?

Jam si has præcipuas Christianorum virtutes ignorent isti naturalis Religionis Philosophi, quo putandum est, apud eos esse locô illas, quas Paulus Apostolus luceulenter enumerat: nempe: *patientiam, fidem, modestiam, mansuetudinem, continentiam, castitatem?* Has certè, sunt non nulli ut legimus disputationes impii, qui ne in virtutum quidem numero ponunt. Nam ii Philosophi, qui palam impietatem & irreligionem profitentur, nullam veram in humano genere reperiiri virtutem & disputant, & multis argumentis confirmant. Alii eorum has quidem mox dictas aliasque virtutes, ut *morales virtutes* admittunt & commendare solent; sed aut eas duntaxat ut societati humanæ utiles respiciunt, nihilque amplius: aut si asseverant, ad perfectionem & ornamentum humani animi eas pertinere; videbimus infra, quid

quid in semet tales eorum virtutes valeant, quamque , ut nos Christiani asserimus & docemus, virtutes hæ , sine fide, spe, & charitate in Deum , sine præfixo ultimo vero æternoque carum fine , vanæ omnino sint. Jam cum & naturam ipsam , sine influxu Divinæ Gratiæ , esse solum fontem omnium virtutum statuant , & finem æternæ mercedis ac beatitudinis in altera vita iis admant , profecto eorum morales virtutes, non sunt nostræ Christianæ , sunt eorum virtutes. Naturales solas Philosophi isti admittunt , acceptas vero in spiritu Evangelii & Religionis Christianæ super naturam virtutes contemnunt & rejiciunt , & ne intelligunt quidem.

Exoticum aliquod idiomatis genus illis videtur, si Paulus Apostolus inclamat: *Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus; siue bibitis, siue manducatis, omnia ad gloriam Dei facite.* Dogmata ejusmodi , inventum hominum turbatæ mentis, aut pueriles ineptias , & ex cogitatas pro lubitu Sacerdotum nugas , impie isti appellitant.

Vis præterea istis ita honestis hominibus risum & cachinnos movere? revoca illud Jacobi 2do. *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Hoc illis inquam dic, velis

## 74 §. IV. DE VIRTUTIBUS RELIGIONIS

velis eorum exponi ludibrio. In confessio enim est, eos peccata contra legem Divinam nulla agnoscere, nec eos pro ulla delictis conscientiae & animae perniciofis, & apud Deum detestabilibus habere illa, quæ Paulus enumerat: *manifesta sunt opera carnis, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum servitus, veneficia, iniuriae, contentiones, emulationes, rixæ, invidiae, ebrietates, homicidia, & his similia.* Nesciunt, imo scire & credere nolunt, se adulterio, impudicitia, lascivis amoribus, magia, vindictæ rabie, odio & invidia, rixis, ebrietate, gula, homicidio, & aliis ejusmodi criminibus in Deum peccare posse, ea omnia ne criminum quidem contra Deum loco reputant. Quædam ex his in tantum docent esse vitanda, in quantum societati humanæ noceant. Si societas humana ea tolerat, toleranda esse, si punit, è re sua id facit. Sed quod attinet ad propriam cuiusvis conscientiam, ad scrupulum animæ, ad metum peccati, & pro co pœnæ divinæ, hæc in semet nihili ducunt. Conscientia hæc illis ut saluti æternæ damnosa & perniciosa non improperat, aut si forte improperet, obtunditur & silentie jubetur. Omnia hæc illis, modo ne honori illorum noceant, modo ne existimatio  
corum

corum detrimentum inde aliquod capiat , modo ne malum aliquod in eos in humana societate inde profluat , modo ne ista authoritatem eorum apud Principem , apud Cives diminuant , modo ne illorum tranquillitati & fortunæ obsint , omnia hæc inquam , illis licent . Hactenus ergo e moribus & scriptis eorum affirmavimus , multas eos veras virtutes ignorare , & nullam contra eas , & contra Dei præcepta culpam crimine agnoscere .

Quænam igitur jam sunt nonnullæ illæ , præcipuæ & selectæ , quibus hi recentes naturalis Religionis Philosophi sunt contenti , virtutes ? hæc sane : cavere mendacii infamem notam , fidem datam inviolabiliter servare , neminem fallere , neminem prodere , amicitiæ jura sacrosanctæ tueri . Fateor ista omnia virtutes esse , & magnas quidem virtutes . Utinam & istæ integre semper ab illis colantur : sed tantillusne illarum duntaxat est apud eos numerus ?

Hujus rei occasione , venit mihi in mentem illud , quod in libro : *Vanitas humanarum virtutum* , memini me legisse de his nostris Philosophis testimonium : *Honesti isti* , inquit Auctor libri illius , & honorati homines , & plurima & maxima contemnunt flagitia , praterquam enim quod pro more

## 76 §. IV. DE VIRTUTIBUS RELIGIONIS

*more suo nulla Deum pietate colant, sunt superbi & ambitiosi, toti quoque carnis voluptatibus dediti, impatientes, vindictæ cupidi, & totam suam virtutem in hac una re statuunt, prodere neminem, esse fideles amicos.*

Verum do alias præterea illis ego virtutes, quamvis apud plerosque eorum rarissimas. Frequentare Templa cum aliis, sive sis Romæ, Londini, Bizantii, sive apud Sinas, & qualiscunque in Templis illis colatur Religio; eam unice ob causam, ne Atheus existimere: opem ferre alteri, juvare, bene mereri, quacunque re possis, de aliis, cum hoc humanum sit, resque excellenti digna animo. Famulis suis, artificibus, mercedem solvere, quo libentius serviant, & non ægre præstent operam. Amico famam non detrahere, illum potius defendere; jus suum, quantum emolumenta propria sinunt, cuique tribuere, & ut cuique tribuatur, adlaborare, non quod injustitia Deo sit exorsa, cum juxta eos illam Deus non curet, sed quod apud homines res sit omnino infamis: servare Principi fidem, propter et tantum, quod habeat unde eam compenset, quod seditiones familias fortunasque revertant: Scire cum hominibus vivere, nullaque in re humanam societatem lèdere, & alias

alias id genus illis ego concedo virtutes, unicè ad vinculum ejusdem istius societatis tendentes.

Hoc igitur est quod dixi, satis esse probis istis hominibus aliquas habere virtutes; reliquias autem vere Christianas virtutes, ut orationem frequentem ad Deum, intentionem quotidianam omnia dirigentem ad laudem Dei, veniam ex animo acceptarum injuriarum ac pro inimicis preces, eleemosinas pro peccatis in pauperes, voluntariam ad imitationem Christi paupertatem, abstinentiam etiam à licitis voluptatibus, maccrationem, ne insolescat, carnis, statam templorum pro publico Dei cultu, verboque Dei audiendo, frequentationem, pium Sacramentorum usum, & centena similia, illi vulgus & facem virtutum appellant, illaque Monachis, Eremitis, Sanctulis, quos vulgo vocant, fæmellisque tantum esse utiles & necessarias, non vero honestis hominibus, asseverant.

g. V. Dei

78 §. V. DE CHARITATE IN DEUM

§. V.

*Dei amorem, quæ prima omnium est virtus, habere eos non posse, qui revelationem rejiciunt, proinde & legem charitatis in Deum, quam è revelatione cognoscimus. Ubi & de necessitate Revelationis.*

**Q**uoniam Philosophi, naturalis, seu honestorum hominum Religionis, tantopere suis in libris jactant, amorem Dei, id quod in tota Religione maximi momenti est; nam juxta Paulum, Augustinum, & Ecclesiam, qui habet charitatem, habet omnes Christianas virtutes, nullam, qui charitate careat; proinde cum satis ostensum sit, præcipuas Christianas virtutes esse à Theistis rejectas, & e numero virtutis eras, examinemus jam num illi vera in Deum charitate, quæ omnes virtutes complectitur, gloriari possint?

Objectio de dilectione Dei ex parte Deistarum, diligenter pensanda est. Respondent igitur se diligere Deum, ita ut Christiani eum diligere plus non possint: nos illis reponimus: Dei dilectionem non in verbis, sed in observantia Dei præceptorum consistere. Deus non tantum vult verbis diligi, sed corde puro & operibus justis. S. Basilius. Qui diligunt me, custodiunt mandata

*data mea.* Exod. 20. *Quid Deus tuus petit à te, nisi ut ambules in viis ejus, & diligas eum? Qui diligitis Dominum, odite malum.* Nullus efficitur amicus Dei, nisi purgatissimis moribus. Augustinus. Dei igitur præcepta implenda sunt ei, qui gloria-  
tur amare se Deum. At isti leges Divinas, neque eas, quæ in veteri Testamento, ne-  
que eas quæ in novo continentur, acceptant,  
quî itaque possunt Deum diligere.

Theistæ respondent, se, quamvis Scriptu-  
ram Divini oraculi vim habere negent, uti  
& Decalogum; præcepta se tamen in co-  
contenta servare, eaque pro lege naturæ,  
& naturæ legem pro Divina, se se accepta-  
re. Addunt hanc Divinam hoc est natura-  
lem legem, quæ ipsis à natura impressa est,  
se naturali rationis adjuvante lumine co-  
gnovisse, ac proinde non verbo tenus, sed  
re ipsa se Deum conditorem suum Domi-  
numque diligere. In qua eorum responsio-  
ne facile animadverti potest, Philosophos  
eiusmodi, *revelationem* planè respueri, ejus-  
que esse sententiaz, se naturali lumine Deum  
cognoscere, & quod Deo debeant, id perfic-  
cere. Implendo ergo præcepta à Deo sibi  
per naturam infusa, satisfacere se dicunt  
gravissimæ amandi Deum obligationi.

Licet

80 §. V. DE CHARITATE IN DEUM

Liceat mihi igitur id jam tantum ex illis quærere , quænam sunt illa Præcepta naturalia , nobis & illis cum natura infusa? Certe quemadmodum Deus est super omnia , est Conditor & Dominus noster , certe , inquam, deberet esse ea lex prima naturæ , quæ est & Decalogi , hoc est , ut agnoscamus , colamus , & diligamus Deum. Ita sane a- junt , hanc esse primam naturæ legem , no- bis cum natura ingenitam.

At enim , cum hæc sit prima & inge- nita naturæ lex , quam hominibus ipsa ratio detegit , & inspirat , & dictat , ut Deum con- ditorem suum agnoscant , colant , & ament ; dicant isti quæso , cur per tot sæcula omnes propemodum gentes ( Israëlitico Populo ex- cepto ) hoc ipso naturæ & rationis instru- ete ingenito lumine , profundis tamen ido- lolatriæ demersæ tenebris , Deum condito- rem ignoraverint ? cur eum non coluerint , non dilexerint ? & illius loco solem , lu- nam , astra , animalia &c. aliaque fædiora his Idola adoraverint ? cur sapientiores quo- que & per celebres eruditio[n]e Philosophi ple- rique , penitus Deum , mundi è nihilo au- thorem , negarint , mundum vero resque o- mnes in mundo , naturæ cuiquam & easui imputarint , atque palam ita docuerint ? cur alii insulsissimam & per quam injurio- sam

sam Divinitati sententiam statuerint, materialiam scilicet ab eterno sine ulla sui efficiente causa, per se ipsam fuisse, & tanquam aliquam Deo sociam & comitem cum eo ab eterno permanisse: idque tanquam rem certissimam propugnarint, mundum hunc nempe visibilem, neque esse ab aliquo ex nihilo conditum, neque nunc e quoquam pendere, sed esse ex fortuito materiae præexistentis concursu coagmentatum, atque a quadam Intelligentia, ex eadem ista jam ab eterno parata materia formatum, materia inquam non creata, sed ex se existente, nullumque principium tanquam Deus ipse habente? cur alii plures adhuc numero Philosophi, & illis duibus multi populi, non unum, sed duo rerum principia, minimè unum ex altero pendentia; ab eterno existentia, & ut apertius loquar, duos Deos, bonum unum, malum alterum, hac naturalis rationis luce collustrati confinxerint? malumque, aspectabilis hujus mundi, ut pote imperfecti, auctorem somniaverint? vel saltē hunc, id est malum Deum, parem sapientia & potentia alteri illi, bono scilicet, opus illius destruxisse effutierint? Hoccine erat probe Deum ita agnoscere, ut hominem ratione præditum & lumine naturæ collistratum decebat?

F

ubinam

82 §. V. DE CHARITATE IN DEUM

ubinam quæso hæc naturæ tam clara lux  
tot annorum millibus delitescebat?

Cur tamdiu, tam innumerabilis homi-  
num multitudo, tot tantique Philosophi ac  
sapientes, ad hoc à Deo infusum naturæ  
lumen cœcutierint, nec de Deo uno, & ve-  
ro conditore suo, nec de anima à Deo & ad  
Deum è nihilo creata instructæ fuerint? Jam  
cum lumen hoc rationis æquè in illos ac in  
nos effulserit, quum & nos, & illos, ut in-  
quiunt, tam potenter ad unius veri numi-  
nis agnitionem excitaverit, cum vero Phi-  
losophi iti tanta sapientia prædicti, tam  
celebrium sectarum Duces, hanc lucem, &  
instinctum hunc, ad cognoscendum creato-  
rem eos ducentem, à se omnino rejecerint,  
fatendum profecto saltem erit, illos perti-  
nacissimos fuisse luminis & veritatis natura-  
lis hostes.

Verum enimvero ita eos defendunt no-  
stri Deistæ, ut dicant, aliter eos in animo  
de Deo sensisse, aliter populum docuisse.  
Verum quidem est veteres Philosophos Py-  
thagoræ, Socratis & Platonis exemplô, in  
duas classes Discipulos suos dividere solitos  
fuisse, *in externos* nimirum, seu *exotericos* &  
*internos*. Externis, quos etiam initiatos vo-  
cabant, reconditos suos de Divinitate & a-  
nima sensus minime aperiebant, minus ad-  
huc

huc Populo. *Vulgaris* itaque corum de Diis doctrina ideo dicebatur , quod , quoties cum Populo res illis esset , vulgi opinionibus sententiam suam de Diis adaptarint . Fuit altera *arcana* propter Sapientes nimirum , & *internos* , tum enim aliquid ratione dignius de Divinitate , & authore naturæ loquebantur . Hic mos à Pythagora manavit , qui sentiebat , quæ sp̄tant ad Deum , *Populo divulare nefas esse* , diuque idem cum Pythagora multi alii sensere Philosophi , an suadente superbia , ut se sublimiori hoc , & arcano de Divinitate sensu à Populo secerrent , an metu Populi id fecerint , in incerto est . Quidquid sit , longè melius certè Christiani , cum nulla sint tam excelsa de Deo apud illos mysteria , quæ Populo projus captu & concipiendi viribus non explicent .

Verum hi veterum Philosophorum etiam *arcani* , & quos Populo celabant sensus , ex corum libris & corum sistematibus , nobis plus quam satis noti sunt . In Platone , Aristotele , Plutarcho , apud Latinos vero in Cicerone , Seneca &c. &c. illos abundè hauries . Certum igitur , & indubitatum est , etiam juxta hos reconditos & arcanos istorum Philosophorum sensus , & sententias , primò Deum ab illis , nunquam pro mundi & anima

84 §. V. DE CHARITATE IN DEUM

& animæ ex nihilo Creatore, secundo, nunquam Deum ab illis pro solo animæ bono & ultimo fine, ac æterna hominis felicitate, agnitus fuisse, ut hic taceam alios absurdissimos illorum de Deo errores, quemadmodum id ex Platone & Aristotele patebit inferius.

Sustulere ergo, aut potius ignoravere, aut in dubium vertere, aut negavere prisci Philosophi hæc duo mox dicta principia & dogmata, nempe *imo* quod Deus mundi fit, meusque *ex nihilo* Conditor; *2do* quod Deus, ut meum est principium, ita meus est solus finis ultimus: seu idem clarus, quod sim & à Deo, & ad Deum unicè conditus, quod sim æternum cum Deo vixturus, quod proinde hac tota vita in omnibus ad eum unicè tendere totus debeam: quas res me neque Pythagoras, neque Socrates, neque Plato, neque ullus aliis Philosophus docere potuit: Nullus enim horum, Deum, me & mundum *ex nihilo* fecisse, nullus horum Deum se mihi pro ultimo meo fine deditisse, nullus horum, Deum mihi salutem, vitam, & felicitatem æternam, aut pœnas æternas in mercedem factorum certò destinasse, ita docuit, ut ipsemet & spem vitæ alterius ac beatæ, & metum punitionis æternæ, quam populo prædicabat, secretioribus sermonibus, scriptis,

scriptis, & doctrinis, non deriserit, non  
damnârit, non ad res dubias & apinas re-  
legârit. Quis enim unus horum Philosopho-  
rum, qui tamen multa de supremo fine ho-  
minis perquisierunt, & disputârunt, ut te-  
statur Cicero *de Finibus*, qui ita cogitârit,  
ita philosophatus fit: quem in finem me Deus  
condidit, qui omnia & singula ad suos fi-  
nes ordinat, nihilque facit frustra? Mihi  
certè alium scopum in hoc universo non præ-  
fixit, nec alium in finem me spiritu, ratio-  
ne, & voluntate donavit, nisi, ut eum co-  
gnoscam, amem, exaltem in hac vita; ac  
in altera cundem possideam, eternum sum-  
mo bono fructurus. Hic omnino non alius  
est meus finis. Certissimum mihi est, nequaquam  
me in hoc mundo esse possum, ut  
hic bonis omnibus temporaliis perfuerar, ut  
commodis & voluptatibus abundem, cum  
his omnibus infinite plures homines carcent,  
quam qui iis fruantur: non ut famam, glo-  
riam, existimationem mihi ingentem vir-  
tute conciliem, nam fluxa hæc & brevi præ-  
teritura sunt. Non sunt hi, si quis mei, ob  
quos à Deo mihi data sit vita, nec esse  
possunt. Nihil me istorum tranquillum,  
nihil solidè felicem beatumque reddit. Sun-  
igitur in hunc mundum à Deo inductus,  
cum ut continuo queram, ei gratificer,

F 3.

cum

86 §. V. DE CHARITATE IN DEUM

eum colam & amem , totus ejus mandatis servandis incumbam , atque ejus beneficiō vitæ æternæ beatæque sim compos. E præscripto imperioque ejus vivendum mihi est , ne secus à fine meo aberrem & peream.

Nemo certè Philosophorum veterum , cum toto naturalis rationis lumine , vi & præstantia , ita ratiocinatus est. Itaque aut obliuione sepultis , aut in dubium versis , aut ignoratis , aut negatis & sublati his præsertim duobus de Deo Creatore , & animæ vita , ac sorte æterna , principiis , quid mirum ? imo quid non potius primum ; ut ita ratiocinetur mortalis : si laxatis virtio habenis etiam incontinentissimè vixero , quid mali faciam ? quid propterea amittam ? Deumne ? cælumne ? at non eo sum conditus , quemè virtutem colens , ac sine illa ad meum nihilum perveniam . Ut Deus nihil mihi pro virtute in æternitate retribuet , ita pro crimen nihil adimet , nulla me pénè afficiet . Ecce criminum , omnisque corruptelæ in hominibus & Gentibus fontem , hoc illud est , quod sceleratissimorum hominum in omni Gente Religione destituta , auget numerum , sed de hoc non semel adhuc sermo redibit .

Hic id tantum dicere sufficiat : naturali quidem lumine id tantummodo conjiciemus ,  
ccc

esse aliquem Deum, id tantum assequemur, esse debuisse aliquem mundi & naturæ aut auctorem, aut sapientem Ordinatorem, quæ naturalis cognitio satis nostram ornat, elevat & nobilitat rationem. Verum, ut eadem hæc naturalis ratio maxime ad salutem æternam nobis necessarias de Deo & anima notiones ex se ipsa eruere possit, hoc certè nemo unquam Philosophorum sine Christiana Religione est consecutus. Unde necesse est, ut is, qui haec in re unam tantum naturalem rationem ducem sequitur cum priscis Philosophis, certissimè erret.

Quod si autem nostri isti, qui hodie florent Philosophi, dixerint, non mirum esse, si & Populus, & ipsi veteres illi sapientes erraverint in Dei, ut par erat, cognitione, propterca enim errârunt, quod forte vel agnitam veritatem dictamenque naturæ audire recusaverint; se vero ideo non posse errare, quod lumini rationis per omnia obtemperent.

Concedamus sane veteres Philosophos, quamvis plus cæteris luminis naturalis, vel saltē tantum, quantum isti nostri habuerint, tamen lumini illi forte minime paruisse, quid inde inferetur? hoc certè, istud scilicet lumen solius naturæ, ad detegendum docendumque, maximè nobis ad salutem necessarium verum, adeo esse, & fuisse de-

## ¶ V. DE CHARITATE IN DEUM

hile & inefficax , ut etiam celeberrimos , atque ad verum cognoscendum aptissimos Philosophos , satis illustrare , & convincere non potuerit , illisque , quantocunque demum ingenii acumine prædicti fuissent , Deum unum , Deum nostri è nihilo conditorem , Deum ultimum nostrum esse finem nequiverit persuadere . Argumento ejus rei isti ipsi sunt Philosophi , qui cum peracri mente fuissent , turpiter tamen de Deo suis in sententiis halucinati sunt .

Si ad hoc Philosophi isti reponant : revelationem quoque non omnium Christianorum *incredulitatem* convincere , illamque a multis eorum rejici ; neque tamen inde Christianos illaturos , quod exiguæ ac perdebiles sint Revelationis vires : quamvis ergo luci & dictamini rationis veteres Philosophi non paruerint , non ideo tamen necessario sequi , ejusdem istius naturalis luminis vires admodum infirmas esse . Respondeo : Christianos , qui Revelationem rejiciunt , non amplius esse Christianos , eos pro talibus agnisci non posse , ut neque illi ipsi se se solent reputare & venditare pro talibus . Etenim Christianum esse , & revelationi renuntiare , manifesta contradic̄tio est . Sequitur inde , Revelationem in bonis verisque Christianis plene suum effectum soriri , sed id opis & gratiæ Divinæ benefic̄io ,  
sinc

sine qua, fatemur Revelationem quoque in  
humani ingenii cæcitatem & superbiam pa-  
rum admodum , aut nihil posse. Vestrum  
rationis lumen Divina non eget gratia, cum  
necessitatem quoque gratiæ penitus negetis ,  
omnia naturæ & rationis viribus tribuentes.  
Nos agnoscimus , nos sine Divina gratiæ  
nihil posse. *Fides donum Dei est..* Revela-  
tio nixa gratiæ Divinæ , obstinationem hu-  
manæ rationis vincit , ipsa autem ratio de-  
stituta & Revelatione, & singulari Divina ope,  
quid quæso efficiet ? Deum aliquem inveniet ?  
fateor, sed num Deum Conditorem ex nihilo ?  
num Deum nostrum ultimum finem, & omnia  
ad salutem æternam pernecessaria homini in-  
spirabit ?

Nolite jam quæso , ô qui qui estis præ-  
clari nostri temporis Philosophi , nolite sa-  
pientiores esse aut velle videri sapientissimo  
Regum & hominum Salomone , qui in per-  
cipiendis rebus ad Deum , mores & vitam  
beatam pertinentibus , tenebras mentis suæ  
cognoscens , ingenuè ita fatetur : *quis poter-  
sit scire consilium Dei , aut quis hominum  
poterit cogitare , quid velit Deus ?* Corpus  
enim quod corrumpitur , aggravat animam ,  
& terrena inhabitatio deprimit sensum mul-  
ta cogitantem. *Quæ autem in Cœlis sunt ,  
quis investigabit ? sensum tuum quis sciēt ?*  
nisi tu dederis sapientiam , & misericordiam

90 §. V. DE CHARITATE IN DEUM

ritum sanctum tuum de altissimis, & sic cor-  
recte sint semita eorum, qui sunt in terris,  
& quæ tibi placent, didicerint homines: an-  
teriorius paulo dixerat: propterea hoc optavi,  
& datus est mihi sensus, & invocavi, &  
venit in me Spiritus sapientia. Salomon er-  
go naturali lumine, sine missa è Cælo sapi-  
entia, quæ illi scitu ad salutem necessaria  
revelaret, ignoravit, quid Deus ab eo velit,  
quid homini expedit ad corrigendam vitæ  
semitam, quid in nobis Deo possit placere?  
& nostri Philosophi tam audacter affirment,  
se de Deo & anima scire omnia, quæ sunt  
necessaria scitu homini, non invocata ab  
altissimis Cœlestis sapientiæ luce & Spiritu?

Aut si cum tota, ut audacter temerè-  
que facere solent, sacra Scriptura, illustre  
hoc Salomonis exemplum, & testimonium  
Theistæ rejiciunt, saltem Plato ille Philo-  
sophorum Princeps, plus aliquid fortasse con-  
siderationis apud eos reperiet, qui in eundem  
fere cum Salomone sensum, præsidium &  
lucem divinæ revelationis desiderat, qua du-  
ce, emenso vitæ curriculô, ad quietis & su-  
premæ felicitatis portum tutius pertingere  
queat. Nam cum omnia, quæ illi sua Phi-  
losophia dictare potuit, virtutis ad beatæ vi-  
vendum præcepta idonea in Phædone præ-  
scripsisset, & de migraturis ad Deum post  
vitam hanc animabus ore Socratis docuisset,

ac

ac de altera vita multa disputasset, hæc denique, tanquam verba Symmiæ Philosophi Socrati respondentis, adjungit: *Mibi videatur o Socrates, quemadmodum tibi quoque fortasse, de his quidem rebus manifestam veritatem in vita præsenti nullo modo, aut cum summa difficultate posse intelligi: oportet circa hæc alterutrum efficere, aut discere invenireque, quemadmodum hæc se habeant, aut si hæc fieri nequeant, optimam atque tutissimam humanarum rationum eligere, qua quis tanquam rate vehatur, atq; ita procellas hujus vita pertranseat, si nequeat firmiori quodam vehiculo, vel DIVINO aliquo VERBO tutius ac cum minori periculo tranare.* Ita ex versione Marsilii Ficini. Agnoscit itaque Plato manifestam de rebus eternis veritatem in vita præsenti nullo modo posse detegi. Nostri vero isti Philosophi cognoscere se posse omnia solo naturalis rationis lumine, quæ ad Deum & animam spectent, tantopere asseverent? Plato firmius vehiculum in vita præsenti, quo pericula omnia tranentur, vocat Verbum aliquod Divinum, idest, si Deus ipse nobis loqueretur, si Deus nos ipse docere dignaretur. Hoc vehiculo in vita præsenti nostri Philosophi egere minime videntur.

Sed

91. §. V. DE CHARITATE IN DEUM

Sed clarior hujus Platonici in Phædron  
textū est alia versio, quam secutus est  
doctissimus Racinus in suis ad elegantissi-  
mum de Religione Poema notis: *Nisi alias  
nobis longe tūtior & securior modus occur-  
rat, qualis profectō foret promissio aut reue-  
latio divina, cuius muniti præsidio, tan-  
quam navi optime instructa, & nullis peri-  
culis obnoxia, proiecti, emensō hujus vi-  
tae curriculo, felices fortunatique quiesca-  
mus: Quasi simplicius diceret: Philosophia  
dat nobis modum cum virtute vivendi, sed  
tūtior & securior modus esset, vita præ-  
senti finita pertingendi ad quietem & felici-  
tatem perennem, si D̄eūs ipse nobis eam  
promitteret, & modum ipsum ad eam per-  
veniendi revelaret.* Plato ergo ultra præ-  
ceptiones Philosophicas optat Divini verbi,  
divinæ promissionis & revelationis præsidium,  
tanquam navim optime instructam, & peri-  
culis nullis obnoxiam, quæ si adesset, feli-  
cem fortunatumque emensō vitæ curriculo  
se fore autumat: nostri autem Philosophi  
propriæ solius rationis lumini ita præfidant,  
ut eo solo, absque Verbo Divino, absque  
promissis & revelatione Divina, conduci se  
posse ad beatam vitam supremamque felici-  
tatem affirment. Suntne isti quælo & Salot-  
mone & Platone sapientiores?

§. VI. Conti.

## §. VI.

*Continuatio de Revelatione.*

**N**on negamus & nos profecto infusa nobis esse à natura quædam lumina, quæ nos omnino ad Dei cognitionem ducant, perspicuum tamen id nobis Christianis est, labefactatam in nobis per peccatum naturam amisisse primitivam vim illam, nec ejus lumen tantum jam in hominum mentes posse, quantum posse deberet. Repeto igitur etiam atque etiam, densissimos veterum Philosophorum de Deo & rebus Divinis animæque errores, quam exiguam vim lumen naturale habeat, evidentissimo esse argumento.

Videamus id vel in solo Platone, cui ob superius quoddam cæteris Philosophis ingenium, antiquitas nomen Divini attribuit, quam tamen sine luce & ductu revelationæ veritatis, in multis magni momenti rebus, de anima, Deo & mundo erraverit.

Immortalitatem quidem & æternitatem animæ, clarius fere omnibus agnoscit Philosoph. Sed cui bono? cum in ejus Philosophia nec bonos post corporis mortem præmia, nec malos pæna maneat. Quid ita? Marsilius Ficinus Philosophus, præstantissimus omnium ejus interpres, ita men-

tem

94 §. VI. DE CHARITATE IN DEUM

tem Platonis commentans ex ejus Timæo explicat: *anima, per essentiam est potius à Deo, quam fiat à Deo.* Id est, quod anima non sit facta, non sit è nihilo creata à Deo, sed quod pars sit Divinæ essentiæ, naturæ, substantiæ; pars, quæ reapse à Dei essentia emanarit, ac corpori infusa sit, & quæ proinde dum morte separatur à corpore, in Dei essentiam & substantiam refundatur & redeat, propria existentiâ, personâ, omnique sui sensu, amissis.

Hæc mens Platonis obscurioribus celata verbis, ut illi mos fuit, ex ejus Epinomide seu Philosopho à viris doctis detegitur. Virum sapientissimum, (inquit) ego etiam joco & serio affirmo, cum diem suum obierit, non amplius multorum sensuum ut nunc, sed unius sortis participem fore, unumque de multis factum, felicem, sapientissimum & beatum. Vir doctissimus Varburton (ex quo ea, quæ de sententia veterum Philosophorum super anima præclarè scripsit, pleraque haurimus) *Dissert: X. de Unit: Religionis*, verba hæc Platonis sic illustrat: *joco serioque affirmo, quod cum mors vita sapientis finem attulerit, spoliabitur omnibus sensibus, quibus dum viveret usus fuerat, & tum particeps erit conditionis simplicis & unica, & qui erat è multis compositus, resolutur*

*vetur in unum felicem , sapientissimum , beatum . Quo loco observandum est , per unum nihil aliud à Platone intelligi , quam Deum ; extat enim inter primos Platonis libros ita nominatus *Parmenides* , vel de uno rerum omnium principio : quo toto libro voce unus , pro voce Deus utitur , & necessariò unum Deum probat ; Reddamus ergo ita clarissim Platonis verba : ex multis , nempe ex anima & corpore ejusque partibus sapiens compositus , cum diem supremum obierit , sensu omni spoliatus , particeps erit conditionis Divine simplicis & unicæ , unum de multis cum Deo fiet , idest resolvetur in Deum unum , felicem , sapientissimum , beatum .*

„ Jam itaque Varburton prosequitur „ Platonem credidisse , quod anima post mor- „ tem , unum quid cum Deo , & simplex de- „ venit , seu unitur cum substantia univer- „ sali , ac cum ea , à qua erat separata & „ avulsa , copulatur ; cumque ista ipsa natura „ Divina ita confunditur anima , suam ut „ propriam distinctamque Existentiam non „ conservet .

„ Satis ergo intelligitur , quod hoc lo- „ co obscuro Plato velit dicere , impri- „ mis cum inquit , jocō seriōque affirmo : „ videlicet cum Plato jocabatur , seu cum „ non philosophabatur scriò , Populum do- „ cuit ,

96 §. VI. DE CHARITATE IN DEUM

„ cuit , quod homo in altera vita gaudeat  
„ existentia particulatim distincta , singula-  
„ ri , personamque agat felicem aut infeli-  
„ cem , juxta opinionem vulgo arridentem  
„ de vita futura : sed cum loqueretur seriò,  
„ id est ut Philosophus , non credebat , quod  
„ hæc post mortem existentia singularis , in-  
„ dividua , & distincta sit , quodque homo  
„ ab exitu è carne mortali , sit felix aut in-  
„ felix persona : credebat contra , vitam a-  
„ nimæ esse tum communem cum universali  
„ substantia sine ullo personam afficiente  
„ sensu , vitam esse animæ resolutæ & re-  
„ fusæ in Deum ; nempe ut Platonici id hac  
„ illustrabant similitudine : velut aquam ,  
„ rupta in medio mari lagena , undequaque  
„ diffundi , mari uniri , toto mari disper-  
„ gi , tamen in mari extare , sic & animam  
„ in substantia universalis absorptam , quo-  
„ dammodo diffundi , quodammodo desperire ,  
„ hominem non esse , personam non esse , æ-  
„ ternam tamen immortalemque esse . Hanc  
„ sententiam & Aristoteles Platonis Disci-  
„ pulus suo Magistro tribuit.

„ Argumenta itaque Platonis seriò phi-  
„ losophantis Methaphysica , probabant ani-  
„ mam permanere post corporis mortem , id  
„ quod ille credebat : sed quantum hæc dif-  
„ ferunt , permanere animam purè & sim-  
„ pliciter ,

,, pliciter , & permanere animam pénis vel  
,, mercedi æternæ obnoxiam.

Quam vero præmia honorum & pénas malorum in altera vita fabulis Plato accensuerit, satis id in suo *Gorgia* aperuit, cum Socratem Magistrum suum *Gorgiæ Philosopho* ita loquentem inducit : *extabat lex hominibus sub Saturno & semper, nunc etiam extat apud Deos*, ut quicunque homines justè pièque vitam egissent, cum è vita migrarent, ad *beatas Insulas profecti*, in omni felicitate viverent, à malis longè sejuncti. *Qui vero injuste impieque vixissent, in punitionis justique supplicii carcerem, quem appellant Tartarum, irent.* Hoc loci, quod fecerat & in pluribus aliis libris, varia tormenta Inferorum depingit. Sed denique *Gorgiam* super his omnibus ita alloquitur : *hæc forsitan anilis quedam fabula tibi videtur, & ea quæ sunt dicta contemnis : sed profecto nihil mirabile foret hæc spernere, si quo pacto perquirentes meliora verioraque his invenire possimus.*

Ratiocinemur jam ita : idem Plato æternas immortalesque esse animas nostras, multis in locis vehementer affirmat & probat : idem Plato, piis, quod in locis beatissimum felices vivant, impios, quod in Tartaro puniantur, ut aniles tractat fabu-

5 | §. VI. DE CHARITATE IN DEUM

las , & sperni hæc à Philosopho posse esse assit : itaque Plato animas æternas vult esse ideo , quod earum substantia ex Deo emanans & quædam pars Dei in substantiam universalem Divinam penitus refundatur , sed quod jam tūm eadem anima sensu omni sui exiuta , propria existentiâ & personâ caret , & tota quanta resolvatur in Deum unum , felicem , sapientissimum , beatum ; Proinde necessariò sequitur animam ut veram particulam Dei , in Deum duntaxat remeantem , nec præmia ulla , nec pænas ulla posse manere .

Hæc Plato didicit à Pythagora , cuius opinionibus totus semper inhæsit , nam Pythagoras teste Cicerone de natura Deorum : censuit , animum esse per naturam rerum omnem intentum & commeantem , ex quo nostri animi carperentur : non vidit distractione humanorum animorum discerpi & laccerari Deum .

Quamvis vero hoc loci Cicero per os Velleii hanc Pythagoræ & Platonis opinionem deridere videatur , discerpi ab iis & laccerari Deum , hæc tamen eadem fuit & ipsius Ciceronis plurimum Platonici , & plerorumque insignium Platonis sectatorum deridenda omnino sententia , animas esse partes à Deo avulsas , esse quidem æternas , sed corpo-

corporibus egressas , ita ad suum totum remeare , ut in eo , tanquam , ut dictum est , aqua ruptâ lagenâ toto in mari , dispergent . Tali certe aeternitate animæ admissa , nec præmia nec pæna locum ullum habent .

Et Cicero itaque , qui Platonem Deum suum appellat , etsi sensa sua super immortalitate animæ nonnunquam ut sua propria verbis suis exponat , nonnunquam mutetur linguam & os alienum , ac sub amicorum vel aliorum personis suas cogitationes celet , quid tamen revera sentiat , fallit neminem ; aliter cum populo , aliter Philosophis amicisque hac de re loquutum , satis constat . Itaque in *Tuscul.* docet : *humanum animum decerptum è mente Divina , cum alio nullo , nisi cum Deo comparari posse :* & in libro de natura Deorum , a *natura Deorum* , ( inquit ) *ut Sapientissimis plancuit , haustos & libatos habemus animos :* & idem in *Consolat.* : inquit : *quod sentit , quod vult , quod viget , Cælestè & Divinum est , ob eamque rem aeternum sit necesse est .* Sed idem Cicero de se , utrum post mortem futurus sit , Epistolâ ad Torquatum ita dubitat : *dum ero , nulla angar re , cum omni vacem culpa : si non ero ? sensu omni carebo .* Idem assertit : *in Orat. pro Cluentio :*

G 2                    Fabulis

100 §. VI. DE CHARITATE IN DEUM

Fabulis & ineptiis nos duci, ut existimemus apud inferos suppicia impiorum perferri, quæ falsa esse omnes intelligunt. In Tusculana item, cum loquitur de libro Platonis, qui liber nominatur Phædo, quo Plato immortalitatem animæ plurimis probare nititur: dicit itaque Cicero: *Phædonem se legisse & quidem sapius, sed nescio quomodo, dum lego, assentior, cum posui librum, & mecum ipse de immortalitate animorum capi cogitare, assensio omnis illa elabitur.* Alibi idem in Tuscul: adhuc clariss, ne in animo quidem post mortem sensus remanet, ipse enim nusquam est. Prima postremis quomodo in Cicerone concilientur? *animus*, inquit, *æternus sit necesse est, & contra, post mortem, inquit, animus nusquam est?* nisi quia juxta Platonem animus absorptus in universalis natura, æternus est, persona individua non est: Nisi ita Cicero cogitet, turpiter sibi ipsi repugnet: quamvis semper, (ductum duntaxat solius humanæ rationis secutus) ita cogitando, hallucinetur.

Seneca quoque non minus Stoicus quam Platonicus, nonne idem quod Plato & Pythagoras sentit? animas esse partes avulsas à Deo: esse quidem æternas, sed easdem post mortem corporis nihil felicitatis sensuras. *Cur non existimes*, inquit ad Lucilium,

in

*in animo Divini aliquid existere, qui pars Dei est? totum hoc quo continemur & unum est & Deus; & socii ejus sumus & membra. Cum credidit itaque nos esse Divini aliquid, esse partem Dei, esse membra Dei, ergo censuit nos esse immortales, æternos. At quid idem de futuro post mortem animæ statu? spem nempe futuræ beatæque vitæ somnium jucundum appellat; ita enim amicissimo suo, immortalitem animi, & futuram in altera vita felicitatem, Epistola ad se scripta, multis impugnanti respondet: juvabat de æternitate animarum querere, imo meherculè credere. Credebam enim facile opinionibus magnorum Virorum rem gratissimam promittentium magis, quam probantum. Dabam me tante spei. Iam eram fastidio mibi, jam reliquias ætatis fractæ continebam, in immeum illud tempus & possessionem omnis ævi transiturus: cum subito expperrectus sum Epistolâ tua accepta, & tam bellum somnum perdidisti. Cum non sit juxta Senecam, nisi gratissimum quoddam somnium spes ævi futuri, quo ergo post mortem ille animus, illa pars Dei, illud Dei membrum? ad Deum redibit, sed res gratissimas à magnis Viris promissas non sentiet. Æquè clare & pœnas criminum post mortem in Consolat: ad Martiam idem Stoico-Plato-*

nicus rejicit: cogita nullis defunctum malis affici. Illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabulam esse. . . . Mors omnium dolorum & solutio est & finis, ultra quam mala nostra non exireunt.

Sed quid nos hæc pluribus? omnes etiam posteriores Platonici ejusdem de anima, ut Plato, opinionis fuere: Epictetus sit loco cæterorum omnium: *animas hominum*, inquit, *strictissimam habere relationem cum Deo*, cuius sunt partes fragmentaque separata & a-vulsa ab ejus substantia. En fideles & in agnoscenda Divinitate animi, & in rejicenda ejusdem felici aut infelici altera vita Platonis Discipulos.

Plato itaque eum suis, emanare quidem à Deo animam, seu Divinam in animo essentiam, Deique esse partem Physicam, ac resolutionem integrum ejusdem animæ in UNUM felicem ac beatum, agnoscit: quod autem ad æternum vitæ ejusdem felicem vel infelicem statum attinet, de eo statu animæ quasi certè futuro, exotericos, seu externos & Populum diligenter omnique virium contentione docuit; sed ut Philosophus cum suis Discipulis, eundem Statum vitamque à morte futuram ad aniles fabulas, & jucunda somnia amandavit: nec aliter potuit, nec potuit non errare de anima, sine Verbi Divini,

vini, ut ipsemet in Phædone innuit, præsidio & luce.

Qui jam illius de Deo & mundo errores, somnia, opinione& dogmata? quæ Dei Majestatem dedecent, suntque sanâ, quæ à Revelatione dirigitur, Philosophiâ, omnino indigna. De unitate quidem, potentia, sapientia, bonitate, æternitate, sanctitate, immensitate, infinitate, amore Dei, nemo veterum Philosophorum Platone melius. Sed qui cohærebit cum unitate, majestate, & reverentia Dei unius, hoc ejus in *Epinomide* seu *Philosopho*, dogma: *Deos igitur Iovem, Iunonem, cæterosque omnes visibilis Deos maximos, (solem, lunam) summopere honorandos, acutissime nostra omnia videntes, ac primos, fatendum.* Deinceps vero sub his Dæmonum genus aereum in tertia mediaque Regione collocatum, orationibus colere, debemus - - unde multa Sacra & privatim & publice, his opinionibus instituta sunt, instituenturque in posterum. Horum omnium Legislator si vel minimum mentis babeat, nihil innovabit, nec quæ Patria legge vel consuetudine de sacrificando firmata sunt, movere audebit: pessimi habendi sunt hi, qui Deos vere oculis manifestos (ut Solem, lunam, astra) non predicant, & sine Sacrificiis, debitisque honoribus, ab ho-

*minibus relinqu patiuntur.* Itaque juxta Platonem & Deo uni honor reddendus , & astris ac Dæmonibus omnino sacrificandum est.

Si Populo hæc scripsisse Platonem affimes , ipsum verò sensisse longè aliter ? Ast hæc ita à Platone tradita in eo libro continentur , quem ipse Plato *Philosophum* nominavit. Decetne Philosophum tam indignè turpiterque illudere humano Generi ? tam malè de mortalibus mereri ? Qua ergo mala prorsus fide & impudenti mendacio Philosophus cum hominibus agit , cum ita graviter asserit : *pessimos eos esse habendos , qui sacrificiis Deos manifestos & maximos Iovem , Iunonem , Solem , Lunam privare audent , eosdemque homines , ut mox infra videbimus , qui Astra ut Deos viventes non agnoscant , stultos & imperitos appellat.*

Deinde quam dignitati , & potentia Dei à Platone derogatur , dum , quidquid demum centenis in locis secus *externos & populum* docere videatur , Discipuli tamen ejus mentem Magistri sui melius cæteris assecuti , alium Deum mundi *Auctorem* , aliud materiæ *effectorem* statuunt. Clare id Marsilius Ficinus , præstantissimus omnium librorum Platonis Interpres in *Timæum* his verbis testatur : *nunquid Deus mundi Au-*

*citor,*

ctor, idem & materiae Effectus est ? respon-  
debit hic Ammonii & Origenis Schola, eun-  
dem esse. - - - Respondebit aliter communis  
Platonicorum Schola, non eundem esse Deum  
qui materiam facit, & qui proxime mate-  
riam format. Duos ergo Deos alterum Au-  
ctorem mundi, alterum Effectorem materiae  
Plato statuit. Quid amplius ? in materiam,  
ab alio nescio quo bono Deo effectam, Deum  
se se infudisse ut animam, atque ita mun-  
dum ex ea formasse, materiae formam dedis-  
se. Hæc ejus opinio clarè è verbis ipsius  
met Platonis in Timæo elucet : *Jupiter*  
*mens est animæ mundi, & anima totius*  
*mundi.* Cujus ejus opinionis, explicando  
librum Platonis de Regno, Marsilius Fici-  
nus dat causam : *Jovem ut arbitror animam*  
*mundi Plato vocat, cuius lege fatali mani-  
festus hic mundi ordo disponitur.*

Sed quæ plura adhuc Divini ejusdem  
deliria ? Plato in Timæo mundum univer-  
sum, esse animal intelligens, mentem & a-  
nimam magni hujus animalis esse Deum e-  
videnter docet : *quam ob causam* (inquit)  
*ille rerum Author generationem & univer-*  
*suum constituit ? bonus erat.* Totum ita mun-  
dum constituit, & ut pulcherrimum naturæ  
que optimum opus faceret, mentem anima,  
animam mundi corpori dedit : *quocircà uti*

*ratio nobis persuadet , dicendum est , hunc mundum animal esse , idque revera intelligens Divina Providentia constitutum. Quidni animal intelligens ? si Jupiter est anima totius mundi ?*

*Quid adhuc plura ? mundum statuit esse animal intelligens , parum id , nisi & sidera , Planetæ & Astra omnia sint animalia mente & ratione prædita. Astra , inquit in Epinomide , universus ille circuitus , mentem habent ; quia eadem semper agunt , nec errant , nec præter ordinem revolvuntur. Quod ordine in Cælo progreditur , mentem habere & optimum intellectum , sufficienter demonstratur. Multis contra visum est , Astra animam non habere ; banc insanam opinionem sequitur vulgus. Si quis Cælestia non ex anima & corpore constare contendat , stultus omnino imperitusque habendus est. Non mirum jam Platonem astris & Planetis Sacrificia cultumque religiosum sanxisse , cum tanta persuasio Divinum hunc Philosophum ratione naturali longe plus cæteris illustratum , tam fortiter occuparit , ut insanos , stulos & imperitos , pessimosque hominum , eos esse gravissimè affirmet , qui hæc Astris denegare ausint. At quomodo hæc cum unius Dei notione , cultu , & religione concilie ? quidvę jam universim , perspectis Divini*

Divini Platonis de anima humana, de Deo mundi anima, de Astrorum mente & Divinitate, erroribus & deliriis, perspectis quoque ejusdem improbis legibus ad mores pertinentibus, de quibus superius §. III. jam innuimus, quid inquam universim de mente humana & Philosophia absque luce Divina, absque *Verbi Divini* Revelatione sentias?

Quam tandem, non ut detrahatur estimationi divini Platonis apud posteros, hæc dicta sint, sed duntaxat ut pateat, cognitionem hominis de divinis rebus, propria vi humani ingenii altius quam par est attolli non posse, libenter ejusdem ipsius Platonis, hominem se esse cum de Deo & mundo loquitur, agnoscētis & fatentis, excusationem suscipimus, in Timo sic inquit: *Cum multa de Deo mundique generatione a multis dicta sint, ne minime miremini obsecro, si rationes de iis probatissimas exactissimasque afferre non possum; et quum est meminisse, et me qui differam, et vos qui audiatis, homines esse: ut si probabilia dicuntur, nihil ulterius requiratis.* Hominem ergo, qui ut potest de Deo differit, se esse meminit, probabilia duntaxat itaque, sed quæ dubio & errori obnoxia sint, de rebus humano intellectu superioribus se promere, quæ, ut alibi fassus est, sine *Divino aliquo Verbo*, sine

108 §. VI. DE CHARITATE IN DEUM

sine luce divina tutum non sit investigare. Jam ævi nostri, si Diis placet, Platones, oportet, ut divino eorum coryphæo, majore naturalis rationis lumine collustratos se putent, & plus aliquid hominibus sint, qui de Deo rebusque divinis disputando, deesse sibi, ut hominibus, non sentiant superius quoddam luce naturali lumen, sine quotamen, plurima ne dum vix aut ne vix quidem probabilia, sed & *insana*, ut Cicero pronuntiavit, Philosophis omnibus elabi necesse est.

Sinc qua luce quid nisi hærent, nuttent, & in utramque partem fluctuent, & omnes alii Philosophi? quoties de Deo & divinis agitur: ac ita dubii semper ratiocinentur, ut senex etiam ille Thæetus in *Sophista* vel de ente apud Platonem: *nunquid* ( ait ) *cuncta ab alio quodam artifice fabricata*, *quam à Deo facta esse*, *cum prius non fuissent*, dicemus? an multorum doctrinam sermonemque sectabimur? dicentium, *ista natura ipsa gigni*, *à causa quadam fortuita sine mente, agente?* vel potius *eum ratione sapientiaque divina, quæ ab ipso Deo orta sit?* Ego, forte per etatem, plerumque tum hoc, tum illud opinor. In præsentia vero al te respiciens ( ad Eleatem Philosophum loquitur) putansque existimare te,

te, per Deum hac omnia gigni, idem ipse quoque existimo. Vide quæso, quæ Philosophi sensis perturbatio, quæ confusio, quæ fluctuatio animi in re rerum omnium gravissima? quid ergo illi, ut constanter Verum amplectatur, ut firmiter vero adhaereat, deest? *Verbum Divinum, Revelatio.*

Sine ista, Aristotelis quoque qualisnam Deus? cui ille mundum coeternum & quem ut Deus sempiternum facit: cum mundum non jam (ut Platoni somniatum) è materia, cuius alter quidam Deus effector sit, elaboratum, non (ut nos credimus) à Deo ex nihilo conditum, sed materiam mundi ex se ipsa esse, & ut vocant existentiam suam ex se omnino trahere, & perinde sicut est Deus, cum illo eternam configuit. Tam bellè solo lumine naturæ nixa, deo sentiebant ingenia, saltem (ut negabit nemmo) non inferiora, nec nostris hebetiora Philosophis.

### §. VII.

*Continuatio de Revelatione & Dei Amore.*

**D**ummmodo igitur superba Philosophorum istorum obstinatio non obstat, fateri cogentur, solum naturæ innen, non sufficiere

110 §. VII. DE CHARITATE IN DEUM

cere ne ipsis quidem Platonibus , ad cognoscendum Principium & supremum finem nostrum, Conditorem ex nihilo cæli & terræ Deum , sed lumen hoc rationis pulcherimum quidem , at ex se tenue , Revelatione duce & adjutrice , tum demum magno nobis hac in re esse posse adminicula. Et hodierni quoque plerique Philosophi , qui veriorem nobiscum , diversamque à veteribus de Deo mundi ex nihilo Conditore , tenent sententiam , quamvis fontem unde id hauserint , recusent agnoscere , non soli tamen naturæ lumini , sed Divinæ Moysis Historiæ , & Christianis , quæ cum lacte hauserunt dogmatibus , id debent tribuere.

Multæ Indiarum Gentes , multi Populi etiamnum unum ignorant Deum , paratamen ac nos naturæ collustrati lumine. Si sunt aliqui , qui de Deo Creatore aliquid digni sentiant , certè hæc apud eos opinio à revelatione non illustrata , non minus monstrosis , ac veterum Philosophorum fuerunt , est intricata erroribus. Explorata hæc est veritas , quam in nostro Hemisphærio frequens comprobavit experientia , nempe quounque Revelationis lumen non pertigisset , ibi & populum , & ejus sapientes , Deum Conditorem ex nihilo , Deum unum , ut homines ratione præditos decebat , ignorasse.

Ignora-

Ignoravit id & Romanum olim Imperium, nemo in illo Creatoris seu Conditoris ex nihilo, nemo creationis ex nihilo mentionem ullam fecit: Hæc ipsa apud Romanos, ad quos omnium Religionum sentina confluxerat, hæc inquam ipsa vox *creare*, nihil minus quam ideam ex nihilo producendi suggerebat; Imbuti enim erant omnium veterum Philosophorum & sui Lucretii opinione. *Ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti. Persius.* Proinde altera quoque Phrasis Lucretii, ubi ait: *rerum natura creatrix*, non ita illis intelligebatur, ut natura ex nihilo creare res putaretur, alias Lucretius evidenter sibi contradiceret; sed quod mundus æternus sit, resq; in illo æternum sibi succedant, non tamen illas Deus, sed sola natura creat, idest alias producit ex aliis. *Quemadmodum ergo ne ideam quidem rei ex nihilo conditæ Romani habebant, ita ne verbum quidem, quô hanc ideam illi exprimere possent, in illorum lingua inveniebatur.* Christiani primò verbo huic *creo*, ideam condendi ex nihilo supposuerunt, edocti id Divinis Moysis Literis: *In principio creavit Deus Cœlum & terram.* Quamvis nonnulli verbum *creavit* in verbum *fecit* temerè commutent, ut Volterius, cæteriq; lingua Hebraicæ imperiti, qua in re eos longe

longè ejusdem linguae peritissimi arguunt solidèque refutant, ut nuperrimè fecit in *Anti-Dictionario Philosophico* doctissimus scriptor Anglicus.

Quod denique Theistæ ita ratiocinentur: sufficere naturali vi intellectūs hoc solum dogma assequi & detegere: *Deus est*: ut Deus à nobis colatur ameturque. Hac una naturæ lumine veritate cognita, *Deus est auctor mundi*, sequuntur necessario aliæ de Deo notiones: nimirum quod sit sapiens, omnia sciens, quod sit optimus, quod sit unus, quod ex se ipso sit, quod sit sempiterminus, quod sit omnipotens, quod sit infinitus, immutabilis, quod sit spiritus, quod sit immortalis & æternus &c. &c. Ex his igitur notionibus, quas ratio humana propriis viribus, suaque consideratione consequitur, justa & recta hæc effluit consequentia, itaque *bunc Deum colere & amare oportet*; aliam hic igitur revelationem non esse necessariam.

Respondeo: aſtentior, quod ex hac una veritate cognita, *Deus est Auctor mundi*, naturaliter omninoque manant omnes mox recensitæ de Deo notiones & consecutiones: sed respondeant nobis hic, iterum iterumque quæſo, Theistæ, quid istud est, quod tot Idolis, Statuis, & innumerabilibus Diis, in

in cælo terraque effictis , spatiō plus ferē  
 trium millium annorum universum orhem  
 vidimus coopertum ? quid est istud , quod  
 totum genus humanum tam longa tot sæcu-  
 lorum serie oblivione perpeti unius Dei ,  
 Creatoris Dei , cum suis Philosophis fuit ob-  
 cœcatum , neque Deum cognovit , nec adora-  
 vit ut Deum ? Non possumus itaque id ul-  
 lo modo concedere experientiā orbis terrarum  
 & tot sæculorum convicti , quod ipsum ra-  
 tionis naturalis tam validum tamque efficax ,  
 aut fuerit , aut sit lumen , ut ejus solius ad-  
 miniculō genus hominum potuerit aut pos-  
 sit , pro ut par est & oportet , cognoscere ,  
 Deum esse mundi Conditorem ē nihilo , Deum  
 esse unum . Plato ipsemet , ut superius vidi-  
 mus , modo Deum unum agnovit , ut in  
 Parmenide milleque locis aliis , modò Deum  
 alterum Auctorem mundi , alterum effecto-  
 rem materiæ , modò Astra Deos maximos  
 mente præditos , viventes , sacrificiis vieti-  
 misque colendos , pessimosque hominum , stultos ,  
 & insanos esse , qui rationem Astris dene-  
 garent , qui ea religiosè non colerent . Si  
 ita Plato , quid alii à divino Platone se-  
 cundi ? quid Philosophi minorum gentium ?

Sed dicamus denique , ut ut fortasse po-  
 tuerit homo naturali ingenio pervenire ad  
 cognitionem Dei , recenter ē manu Divina

114 §. VII. DE CHARITATE IN DEUM

prodiens in statu innocentiae ; assentiamur & huic ; sed ex statu amissio per primitivum peccatum (Christianus Christianis, non Theista Theistis hoc loci loquor) homo labefactatus corruptusque, nedum non agnovit Deum Creatorem ex nihilo, unumque, sed etiam tractu saeculorum, ex mente Idem illius impia oblivione delevit. Revelatione jam itaque humano generi, ne in perpetuis ignorantiae sibi relinqueretur tenebris & in umbra mortis, omnino necessarioque opus fuit. Quid est enim Revelatio ? nisi profecta cælitus denuntiatio, & communicatio quædam Mysteriorum Divinorum, quorum ei cognitio sit ad salutem necessaria : simulque commemoratio & renovatio quædam ejus luminis de quo dictum est : *signasti super nos lumen vultus tui Domine*, quodque homini Deus cum natura infuderat, sed quod amissa sensim sine sensu Patrum Religione, depravata eadem natura non parum labefactarat.

Corruptum igitur tot saeculis, oblitterata ex mentibus vera religione, humanum genus, cum Deum unum, Deum Creatorem ex nihilo, tanto temporum intervallo serè penitus oblitum fuisset, verum Deum proinde nec coluit nec amavit : Revelatio autem conservata in una à Deo delecta Gente, cum tandem innovavit in toto terrarum Orbe

be hanc Creatoris Deique unius notionem ,  
tum primū in universo Orbe reperti sunt  
homines , qui unum Deum ac Creatorem  
colere & amare cæperunt.

Si vero priscos inter sapientes Ethnicos ,  
aliqui Philosophorum reperti sunt , qui aut  
ex consuetudine cum iis , quibus systema  
Moysis familiare erat , aut majorem mentis  
docilitatem naëti , naturali ratiocinatione  
utcunque assèquebantur unum esse Deum ,  
eundemque principium & auctorem mundi  
cognoscere quodammodo visi sunt , tamen  
aliis eorum erroribus admodum turpibus , &  
absurdis opinionibus hanc Dei notionem in-  
quinârunt & obscurârunt , uti illi inge-  
niorum apices Plato & Aristoteles : alii il-  
lorum seu invidiâ , seu superbiâ , seu metu  
Civium ex his suis qualibuscunque de Deo  
notionibus Philosophicis , nihil , ut dictum  
est , communicabant Populo , sed uti de iis  
semper ipsi metu & dubii & incerti , ut id scri-  
ptis suis ubique produnt , eas inter se ce-  
lare consueverant . Revelatio primum has  
veras de Deo notiones & quidem longè per-  
fectius , solidius , & indubitanter , toti dete-  
xit ac declaravit mundo . Revelatio , lumi-  
ne rationis è tot sacerdorum tenebris expli-  
cito & crepto , simul cum eo hanc in universo  
genere humano constabilivit veritatem & do-

116 §. VII. DE CHARITATE IN DEUM

gma : *Deus unus est , Deus Creator è nihilo mundi est , adorandus est itaque & amandus.*

Frustra igitur hi Religionis honestorum hominum Philosophi , humanæ rationis vi-ribus conantur adscribere cognitionem per-fectam & Dei Creatoris, Uniusque , & Legum Divinarum, infusarum, ut ajunt, animæ.

Jam quandoquidem teste generis huma-ni historia , absque Revelatione ad debitam Dei Creatoris , Dei unias , Legumque ejus cognitionem perveniri non potest , absque eadem igitur Revelatione, Deus, ut par est, amari non potest : prius enim est cognosce-re, quam amare , prius est agnoscere Leges Dei, quam eas servare.

Si ergo & Theistæ Deum diligunt , ut asserunt, Revelationi rationem corum illu-minanti id debent , quamvis eam rejiciant , non soli tenui debilique intellectus luci, si Deum revera diligunt.

Theistæ itaque , jam inter Christianos , non vero temporibus Ethnicorum nati , ac illustrati , & quod cognoscant Creatorem & unum Deum , esto : & quod & verum Deum ament , esto : sed tum , cum ante Revela-tionem, Christianamque Religionem Ethnici corumque Sapientes amabant Deum , amare profecto debuerant alium Deum auctorem mundi ,

mundi , alium effectorem materiæ, alium bonum , alium malignum , item Jovem cum Junone ejus pellice præsidem aliorum omnium Deorum , alii amare debuerant, quem adorabant , solem , usque ad canem , Anubim Aegyptiorum Deum.

Id quod certum est , esse in nobis instinctum quandam & excellens lumen naturæ , quod à nobis id exigit, ut omne hominum genus hac in re omnino consentiat, esse Deum aliquem Auctorem mundi; illique cultum deberi , sed hoc naturale lumen obscuratum , & terrenis, ut ita dicamus, permixtum confusumque vaporibus , non detegit unquam absque revelationis face , qualis Deus cognoscendus , quomodo colendus , amandusque sit nobis.

Sed jam denique isti honestorum hominum Religionis Philosophi, ament utcunque volunt Deum Auctorem naturæ , mundique Dominum : sed cum præcepta legesque ejus hominibus verbo Dei traditas non agnoscant, amor hic Philosophicus , absque obedientia Deo debita , cuius momenti est ? quid vallet ? ament Auctorem naturæ ; sed profecto nimis id parum est, cum gratiæ salutisque æternæ auctorem nec noscere nec diligere velint, cum non hunc Deum ament, qui cum infinito erga Genus humanum amore nobis se

se revelavit, in quem nos Christiani credimus, quem amamus. Diligunt illi, ut dicunt, Deum & Dominum, sed Deum & Dominum, quem unum in Deitate, Trinum in personis nos credimus, illi omnino non credunt, nec diligunt: si crederent eundem ut nos Deum, essent Christianæ Religionis nobiscum. Non possunt itaque Deum nostrum, Deum Christianorum amare: idcoque eis illud dictum putamus: *non omnis qui dicit mihi Domine Domine &c.* & aliud: *Populus iste labiis me honorat.* At jam terminando hanc materiam est ultima hæc mea quæstio:

Dicunt, docent, & scribunt cæteris celebriores Theistæ *vide Ep:18. du Philos. Sans-Souci*, non esse ita humiliter indecoreq; sentendum de Deo, quasi ille rebus omnibus humanis & cogitationibus se se immisceat, & corda scrutetur hominum: Deus O. M. potest esse felix & beatus absque hac curiositate & anxietate nimia, continet enim in semet Deus aliquid infinite dignius, cuius contemplatione se se occupet; nec scit itaque, nec scire ejus refert, nec scire vult, quid in humanis peccatoribus lateat, quid homines cogitent. Hæc est sapientissimorum è Theistis doctrina: quæ si juxta eos vera est, cur isti Philosophi tantopere

tantopere nobis affirmant, declamant & sustinent, quod Deum ament? quandoquidem Deus nihil scit, nec scire velit de hoc erga se eorum amore, & de optima illorum erga se voluntate? An sorte, nihil de eorum erga se charitate scientem Deum, amant gratis? perbellè faciunt, laudabiliter id faciunt. Nos Deum amamus, volentem ac jubentem amari à nobis, scientem se amari à nobis, & à quolibet generis humani individuo, nos Deum amamus, ea spe certa fulti, nos quoque, singulos quamvis prorsus indignos, redamari à Deo.

Demonstrata jam hac veritate, nempe Deum, prout par est, prout homini ad felicitatem & salutem æternam necessarium est, nec cognosci, nec Deum dignè Deo colli, & amari, sine revelatione posse: videamus jam, quid in cæteris omnibus virtutibus, ut virtutes sint & sub specie moralium virtutum appareant, Homines Religione honestorum hominum, desiderent.

## §. VIII.

*Honestati hominum sufficit, ut ab hominibus honorentur, proinde satis est illis ipsa quædam virtutis externa species.*

**I**llud itaque confirmandum jam mihi est, quod altero loco ostendendum afferueram, his videlicet Philosophis, his naturaliis, ut volunt, Religionis Sectatoribus, honestis istis Hominibus, non virtutes tantum paucas aliquas, ut hactenus commonstravi, satis esse, verum quo ab hominibus honorentur, solam etiam harum adeo paucarum virtutum illis quasi larvam theatralem, solum colorem sufficere: colorem inquam, non veram quamcunque virtutem: nam & haec perpaucæ, quas recensui, minime apud eos egent, ut sint solidæ, ut sint reapse & verræ: satis eis est, tantum ut tales apparent. Id quod luculentius patebit, postquam altera, de qua supra innuimus, humanæ honestatis conditio à me clarius exponetur: nimirum id solum & maxime illis curæ cordique esse, ut laudem, honorem, & existimationem apud homines sibi comparent, omnique studiō comparatam conservent. Hæc est prima illorum lex, primumque officium. Unde naturaliter id effluit: omnia, quamcunque

cunque ab illis palam fiunt, non propter conscientiam, non propter salutem animæ, nec propter Deum fieri, cum hunc finem, suprà, ut vocamus, naturalem, æternumque, minime ipsi noverint, & ne nosse quidem velint, imo penitus eundem contemnant; præmia etenim atque pænas in altera vita dari, aut nequaquam credunt, aut in dubium omnino revocant: verum omnes ipsorum actiones cō duntaxat ab iis ordinari, ut famam decus & honorem apud homines consequantur.

Hic vero honos temporarius, quandoque verus omnino est, cum interdum de conservanda necessario proprii nominis existimatione apud homines re vera agatur; quandoque autem imo sèpius falsus esse sollet, & nonnisi ab imaginatione, ambitione, superbia ac pertinacia ortum dicit. Ita Julius Cæsar veram sui existimationem afferere nisus est: cum etenim major atque auctoritate pollens Romani pars Populi, cum appellaret Tyrannum, omnia illi subeunda atque præstanda fuerunt, ut fædam tyrannidis notam à se depelleret. Hinc cum quidam Romanorum Tyrannum cum esse illi coram exprobraret, *at faciam*, inquit, *te fateri me non esse Tyrannum*, dum veniam tibi acceptæ injurie vel non petitus, concedo.

H 5

Vero,

Vero, Cæsar, falso autem honore ducebatur Aman, primus Assueri Minister, qui quantumvis Regis opibus abundaret, atque potentiam, primisque dignitatibus aliis longe præcelleret, nihilominus cuncta sibi deesse, sequi omnium in mundo hominum infelissimum putarat, eò quod unus ex Hebræis pauper & captivus Mardochæus cum pronus adorare, ipsique genu flectere constanter recusasset. Vindicandi itaque honoris sui cupiditate incensus, crudele editum nomine Regis, eò tamen insciò, id quod sèpius apud Principes usu venit, pro suspendendis in cruce omnibus Hebræis ac præsertim Mardochæo promulgaverat: in eodem nihilominus altissimo, quod illi paraverat, infami patibulo, ipse Aman suspensus computruit, & avibus in prædam & escam cessit. Nonne satis honoris adeptus fuerat, cum esset primus Minister, ac fermè Imperii socius? an tam altum animo ipsius vulnus, id infligere debuit, quod ab uno quopiam non adoraretur Judæo? nonne falsus vanusque fuit iste honestos? At omnes isti honesti Viri, ad ejusmodi, alii falsum, alii verum honoris scumpum, singulas suas actiones convertere & dirigere solent.

Quamo-

*Quamobrem non habent amorem virtutis isti falso ita dicti honesti homines, ait citatus superius Auctor de falsitate virtutum humanarum, non sunt justi, fideles, boni, generosi, nisi ut tales videantur hominibus, magnique ducantur, ut captent auram atque crescere augerique honoribus possint. Hinc autem sequitur, eorum virtutem non esse, nec oportere esse veram, solaque externa ipsius specie illos esse oportere contentos: haec etenim eis sufficit ad decorum, & ad consequendam bonam opinionem apud homines, qui abdita cordis penetrare nequeant: nam homo videt ea, quae parent, Deus autem intuetur cor. His proinde Philosophis hominibusque honestis, satis est, ut tantum sint boni, quantum opus est ad conciliandam illis in mundo laudem & gloriam: quam unicam tota virium contentione inquirunt & depereunt. Magnam etenim dunt taxat apud homines celebritatem & famam, pro ultimo actionum rerumque suarum sibi constituunt sine, eamque maximam virtutis mercedem esse reputant: ut proinde satis illis sit, hominibus imponere, eosque vel ipso cuiuscunque virtutis simulacrum oblectare & fallere. Tantum videlicet ab aliis fraude circumveniendis se se cohibent, quantum opus est, ne ipsorum doli ac falsitas dete-*

detequantur, neve ipsi veteratores mendacesque appellantur: tantum amicitiae inviolabile observant fædus, quantum oportet, ut de iis passim hæc per vulgetur opinio, eos quibus sint amici, verè esse amicos: at cum eorum res postulent, omnia sanctissimæ amicitiae per facile dissolvunt vincula; tantum injuriarum obliviscuntur; quantum ulcisci nequeunt, vel quantum opportunitas temporis rationesque politicæ, aut temperati moderatique animi ostentatio exigit, cum tanien ad exercendam vindictam oportuna se se offert occasio, perniciem homini dudum in sesto per libenter adferunt; ac competitorum præsertim, qui eosdem Magistratus aut eadem lucra & emolumenta cum iis appetunt, aut iis quapiam ratione obstant, famæ & honori vel maximopere nocere, eosque vel teterimis afficere calumniis flocci ducunt: tantum liberales atq; aliis se se ostendunt beneficos, quantum ab iis vicissim se recepturos, aut inde celebritatis habituros sperant; ut ut Creditor, Mercator, operæ & servi, sua re & mercede frustrati, summam eorum injustitiam sordes & avaritiam noctes diesque incusent: tantum contracta dissolvunt debita, quantum oportet, ut non tam justitiae legibus satisfaciant, quam ut populararem fidem sibi quoquomodo concilient,

lient, cujus ope nova iterum debita facilius contrahant; fallunt tamen dum possunt, & illi cui debitores sint, suam propriam in concedendo facilitatem ac simplicitatem incusandam esse secretò sugillant: tantùm arcana aliorum sibi credita tegunt, quantum sufficit, ne ille qui ea commiserat, prodita esse ocyùs seriùsve cognoscat: tantùm à rebus alienis manus abstinent, quantum cum iis, qui majori potentia & viribus præstant, nihil se effecturos prospiciunt; at debiliores opprimere, omnibusque eos afficere damnis fas esse putant, dummodo omnia excusare aut occultare illis liceat: In agendi vitæque modo cautos se utcunque exhibent, ne eorum crimina, quæ clàm perpetrent, omnium fiant oculis manifesta: Et quamvis omni prorsus Religionis sensu sint destituti, Sacra Fana & aras nihilominus adire quandoque sunt soliti, ne forte apud Populum Atheorum aut impiorum opinionem incurant.

Verum itaque censi debet, quod olim Laurentius Justinianus asseruerat: *timor hominum peccatum differt, non aufert.* Hactenus videlicet eorum voluntatem à malo cohibet, donec se se certa occasio peccandi obtulerit. Adeoque hæc proprii tantum honoris ratio, ac oculi humaui timor, non coercet

## 126 §. VIII. HONESTATI HUMANÆ

coercet istos honestos homines à quibusvis sceleribus clanculum, dum vacat, perpetrandi, sed id duntaxat efficit, ut ea ad alium locum, aliudque tempus differantur; ne si palam committerentur, eorum fortasse famæ aut fortunæ aliquomodo noceant. Quod itaque internam virtutem actionumque honestatem spectat, non iis Christe afferis: *ne justitiam vestram faciatis, ut videamini: cum iij nihil boni rectique aggredi vel agere velint, nisi ut ab omnibus aestimentur, videantur, honorentur, laudentur, honestique & probi dicantur: non secus ac molandinum illud, cuius rotæ solo impelluntur ac circumaguntur vento, cui quispiam inscripsit, absque aura quiescit.* Nisi enim vento inanis gloriae, aut vana quapiam spe incitentur, nihil boni, nihil è virtutis lege ab iis expectes.

Observarat id ipsum jam dudum Plato in suo secundo de Republica Libro, cuius testimonium hoc loci adhibendum esse duxi, istorum ergo, qui prophanos Philosophos ipsis Ecclesiæ Doctoribus temerarie omnino anteponunt. Ex illius certe verbis, isti, de quibus agimus, honesti justique ad speciem homines luculentius cognoscuntur, simulque clarissime patebit, minime à nobis ea fingi, quæ nulla cavillandi, sed veri detegendi causa,

causā, affirmavimus. Sic itaque eos describit Plato: *Si & mali & boni haberent Gygis annulum, ne videri possent, reperires forte neminem, qui constanter sequeretur justitiae leges, qui manus vel palam à rapienis & opprimendis aliis cohiberet, dum id illis impunè liceret.* Interim publicè suas ja&farent virtutes, aliorum circumvenientorum causā, ne si secus loquerentur, suam in discriminem fortunam adducerent: ita dextre facinora sua obducunt & contegunt, ut detegi nequeant. Summa rei est apud istos intus injustos homines, apparere bonos, quamvis boni non sint: dum admittendo quævis vel atrocissima scelera, artem calleant, quæ honestorum famam sibi sartam testam conservent. Ita ex versione Platonis de Republica in Lingua Gallica. Quamvis eundem locum in Marsilio Ficino longè uberioris tractatum de homine Justo & injusto, legamus; re tamen versio utraque plane convenit: hominem nempe clām pessimum & injustissimum omni studiō conniti, ut bonus probusque appareat. Genus humanum semper fuit, semper sibi est simile. Fuerunt ejusmodi honesti probi justique homines tempestate Platonis, sunt quoque & nostra.

At

## 128 §. VIII. HONESTATI HUMANÆ

At enimvero nihil exagerate, nihil nimis. Quamvis enim desertores proditoresque Religionis, qui honestatis se se nomine condicent, veras solidasque non curare virtutes, hucusque asseruerimus; nequaquam tamen aut ipsi existimamus, aut ita omnino existimandum esse volumus, omnes nempe homines, qui Christiani non sint, hac non nisi, quā mox diximus, suspecta ratione honestos esse: ac si videlicet omnes iij forent *Hypocritæ*, ac si omnes ad bonam duntaxat opinionem hominum sibi conciliandam, vel ad illudendum tantummodo cæteris, externè virtutem mentirentur. Ita etenim non tantum maximis, qui antiquitatem ornarunt viris, ut Epaminondæ, Pythagoræ, Socrati, Platonii, Cimoni, Phocioni, Fabricio, Catonibus, Scipionibus, Lelio, Ciceroni, aliisque, verum etiam plurimis & hoc Saeculo illustribus Viris, magna inferretur injuria; qui etsi aut perverso à Sophistis philosophandi genere, aut imbecillitate ingenii, aut pravis cupiditatibus & moribus abducti, Fidem ac Religionem deseruerint, vel corrumperint, certum tamen est nonnullos ex iis posse & veras virtutes morales amare, posse rectum & honestum amplecti. Sunt eos inter aut continentes, aut justi, aut benefici, liberales, misericordes, aut patien-

tes

tes, modesti, aut magnanimi, aut Regibus Patriæque fideles : sunt qui bonum publicum tuentur ac privato anteponunt, sunt fortes & strenui, aliisque moralibus virtutibus vere præditi.

Neque vero, nostra Catholicæque Ecclesiæ, doctrina hæc est ; imo damnata ab Ecclesia, omnes videlicet *actiones & virtutes infidelium, peccata esse* ; atque homines a Christiana Ecclesia separatos, peccare omnibus etiam maxima probitate commendatis operibus. Id sane nos minime sustinemus, imo propugnamus contra, in quavis Religione, atque apud ipsos Ethnicos potuisse & posse reperiri veras virtutes morales. Illud utique Themistoclis magni clarissimique Imperatoris heroicum facinus, dum verba ad Populum faciens, adversario suo, qui Orationem Themistoclis interrupperat jam cum iectu baculi ejus capiti imminebat, id tantum reposuit : *feri & audi.* Lycurgi animi moderatio : cum enim Adolescens ejus nepos ab eo educatus, at paterna Lycurgi reprehensione in furorem actus, oculum illi hastili effodisset, Lycurgus non solum tam atrocem injurian facile juveni condonavit, verum etiam magnis deinceps eum locupletavit opibus, pænitentiaque criminis, bonum deinde utilemque

Patriæ Civem reddidit. Hæc atque sexcenta similia an ideo peccata fuisse oportuit, quod non à Christianis profecta hominibus? Imo sunt plenæ veræ laudis, sunt scilicet morales ordinis naturalis virtutes, quæ quidem absque fide in Christum non merentur æternam in Cælis mercedem: Cælum etenim, est merces supra naturam, nec homini debita: ad quam nullis suis meritis jus sibi ille comparare queat, sed eam nonnisi sanguine & morte Christi, qui est nostræ æternæ Auctor felicitatis, acquirat. Ut proinde virtus nostra sempiterna in Cælo promereatur præmia, è naturali, ad super naturalem, ut vocamus, ordinem omqno cam elevari, atque ita Deo gratam & acceptam reddi omnino oportet. Porro ea absque fide & absque spe in Christum valorem ejusmodi obtinere nequit, ut æternam animæ nostræ nobis salutem conciliet. Quod si nihilominus virtutes fide vera destituantur, non ideo tamen peccata censeri dicique debeant. Imo Deus O. M. cum sit justus, hominibus, qui naturali ejusmodi virtute sunt prædicti, bona hujus mundi temporalia tanquam naturalem parat confertque mercedem; scilicet cuius naturæ ordinisque est meritum, ejusdem & præmium. Non assertimus itaque, extra gyrum Ecclesiæ, hominis cujuspiam

cujuspiam non Christiani vel Theistæ , non posse esse veras morales Virtutes ; sed id esse constanter verum , atque ipsa experientia confirmatum contendimus , ex iis vide-licet , qui temporibus his sive claram sive pa-  
lam , semper tamen indignè , Christianam Religionem , in qua nati sunt , abjecerint , & ab ea defecerint , atque ( ut amant vocari ) Philosophorum sive honestorum hominum sectam ampliæ sint , posse inquam ex iis nonnullos moralibus ac laude dignis gloriari virtutibus , & reperiendi tales , qui iis efful-  
geant : at enim , si perpaucos ex iis viros graviores fortasse exceperis , plures longè numeres , qui amissio & rejecto pervicaciter Religionis lumine , quæ sola à quibusvis sce-  
leribus mortales efficacissime cohibere potest , sunt aut improbi , aut helluones , aut avari & impii , aut superbi , vani , injusti , aut raptiores , sanguinarii , aut meretricii & adulteri , aut proditores & perfidi , intus de-  
nique flagitiosi homines , exterius duntaxat pernecessariam quandam in societate humana probitatem mentiti : instar honestorum illorum hominum , quos Plato depinxit , de quibus id insuper addit : *non elaborandum est iis , ut omnino sint , sed ut duntaxat videantur justi , nihil enim illis plus virtus , quam virtutis opinio prodest.*

## §. IX. DE AMORE VIRTUTIS

Cum etenim ut pluribus jam ante confirmavimus isti honesti homines , *animalia gloriæ* , quemadmodum a Magno Gregorio appellantur , plerasque suas virtutes , ad gloriam honoremque tantum apud homines comparandum dirigent , evidentissimè id consequi necesse est , solam iis virtutis opinionem , colorem ac apparentem speciem sufficere ; cum ejusmodi virtutis superficies iis satis superque sit , ut apud homines approbationem laudemque adipiscantur.

## §. IX.

*Non satis est virtutem , propter ipsammet virtutem amare & consecrari.*

**C**um nemini quidquam detrahere , nec in ullum injuriosi esse velimus , illud tandem silentiō præterire non possumus , quod a quibusdam non quidem Christianis , virtutum tamen moralium ( ut sibi plaudunt ) amatoribus Philosophis affirmari solet . Dicunt illi virtutem se studiosius amare , at non ad ostentationem vanam , non ad estimationem cæterorum consequendam , non præmii ullius temporalis aut æterni causa , non cujusquam utilitatis in hac vel altera vita obtinendæ ergo , tanto minus inanis captandæ

captandæ gloriæ studiō. Virtus (ajunt illi) propter semetipsam impensè coli & diligi omnino meretur. Pulcherrima ejus species digna undequaque est, ut sepositis & præsentibus & futuris utilitatibus quibuscumque, à nobis vehementer ametur. Ipsa quippe hominem sola per se beatum efficit, ipsa unicum maximumque, quantum dari potest, ejus bonum est.

Splendida fane ac excellens est ista oratio, qua tamen veri etiam Christiani virtuti & sapientiæ toti dediti uti solent: sed non ita hæc verba intelligunt, uti illa intelligere solet Philosophia vana, in cuius systemate hæc ita eleganter dicta, veri, ut videbimus, solidique nihil continent, sed ut duntaxat aliquid magnificentem sonent & illuminant, hunc solum scopum habere videntur.

At vero si intime res ipsa dispiciatur; habent isti Philosophi aliud quendam certum latentemque suum finem, cur illi virtutem propter ipsammet virtutem diligendam esse declamat ac prædicant. Scopus eorum hic est: quod nimirum præmia æterna virtuti à Deo esse præparata nolunt credere: pudet autem eos, prout puduit olim Stoicos, temporalia fluxaque bona pro lucro & mercede virtuti assignare. Quare proposita hoc uno, quod virtus propter seipsum diligi &

## 134 §. XI. DE AMORE VIRTUTIS

coli debeat, consequitur mox aliud: Deum Remuneratorem virtutis non esse, & beatitudinem supremam hac vita exacta in remunerationem virtutis nullam nos praestolari oportet, nullam dari. Parvumne hoc aut supervacaneum videtur, hanc oppugnare opinionem, eamque radicitus velle extirpare?

Incumbere itaque studio virtutis propter ipsammet virtutem, è superficie quidem excelsa ac plane Philosophica mirabilis haec esse videtur cogitatio: Scrutemur eam paulo profundius. Conferamus illam & cum sana Philosophia, & cum Christianis principiis, & facile illud prouumque erit nobis intelligendo consequi, non satis esse propter ipsam pulchritudinem virtutis, amare virtutem, sed praefigendus erit illius amoris nobilior perfectiorque scopus. Quod sic ratione illustremus.

Unusquisque hominum, per illum intimum à Deo simul cum natura cuivis infusum suimet amorem proprium, suam appetit & quidem majorem semper felicitatem, neque ab ea querenda ulla ratione desistere potest. Hoc igitur quasi basim ac fundatum praesentis causæ statuamus principium: *Homo ex natura sua, suam semper inquirit felicitatem, semper majorem, usque*

*usque ad summam: neque ab ea inquirendā unquam naturaliter cessare potest.*

Sed quæ porro, & quidnam sit? ista & media & suprema felicitas? In aliis illam rebus Philosophi & prisci & hodierni, in aliis nos Christiani collocamus.

Epicurei asseverant, totam felicitatis humanæ rationem in eo versari, ut se ipso sit homo contentus, ut vivat semper in semet tranquillus. Id quod ita explicant: Homo & se ipso, & suo statu nequit esse contentus, neque in se ipso tranquillus, si valetudine stabili corporis destituatur, si mens & ratio illius perturbetur, si desint illi sua commoda ad vitam pro suo libitu & conditione laute liberaliterque transigendam, si suæ voluptati, desideriis, ac cupiditatibus satisfacere nequit, si libertate sua uti, integrum illi non sit, ac postremo si existimatione & opinione populari atque amicitia aliorum careat. His bonis & commodis omnibus adjungi debet Virtus, quæ actiones hominis tam in privata quam in Civili vita dirigere debet. Jam cui nihil horum bonorum deest, cum quibus sit conjuncta & virtus, ille se ipso delectatur, ille omni ex parte beatus ac felicissimus mortalium est.

## 136 §. IX. DE AMORE VIRTUTIS

Stoici contra opponunt suam de summa  
veraque felicitate humana opinionem. Cum  
bona hæc temporalia ab Epicureis enumerata,  
brevia omnino, mutabilia & fluxa sint, ni-  
hil ea ad veram & firmam hominis felici-  
tatem pertinere arbitrantur, & ne digna  
quidem esse verorum bonorum nomine opini-  
nantur; quæ eo ipso æstimari recte neque-  
ant, quod perpetuo nobis clabantur, quod  
a nobis vel inopinato avellantur, quod ve-  
lut fumus cum halitu morientium disperce-  
ant. Præterea universum hunc Epicureo-  
rum bonorum, si bona sunt, cumulum, quis-  
nam hominum plene simulque possedit? Est  
ne unus, qui ita simul omnia teneat, ut  
nihil sibi deesse queratur? Millia millium  
erant, sunt, ac erunt hominum, quibus  
omnibus, & singulatim cuivis aliquid ho-  
rum, vel valetudo, vel opes, & ipsa ne-  
cessaria, vel rationis vigor, vel voluptas,  
aut denique libertas defuit, & quod pejus  
est, quibus cum quantacumque horum con-  
gerie, id quod est optimum, virtus defuit.  
Si igitur nemo istorum felix, quis felix in vita  
dicetur? Ubi est quæso in terrarum orbe  
hæc felicitas conflata ex bonorum, quæ  
desideres, omnium absoluta quadam collec-  
tione?

Si

Si ita esset finis proprius ultimusque, ad quem universum Genus humanum, ad quem quivis homo creatus sit, nemo ergo hominum proprium suum, ad quem in mundo comparuit, ad quem cum natura effudit, finem consequitur: nemo enim ad normam & libellam Epicuri in hac vita felix est, nemo se ipso undeaque & semper contentus. Nihil e supra memoratis saltet Salomoni defuisse, uti ipsemet testatur, putemus, & tamen is ipse ex intimo animi sensu omnia esse meram vanitatem, velit, nolit, fatetur, palamque conqueritur. Demus jam tales vel mille Salomoni pares similesve fuisse, id est vel milie, quotquot tandem velis, collectione totidem ut ille bonorum, felices, at quotus horum, vel ita ut ille felicium erit numerus? collatus cum plane infinito infelicitum hominum numero? Isti itaque finem, ad quem sati sunt, aut potius ab Epicuro destinati, nulla eorum culpa, consecutione sunt, nec consequi ullo modo potuerunt: quis enim in hac vita felix esse nolle, si posset? Aut igitur Deus & natura, qui nihil frustra faciunt, fortasse (quod perabsurdum esset dicere) errarunt in constituendo fine hominis, qualis Epicurei statuunt, aut certissime & indubitanter lon-

ge est aliud , quam Epicureum , istud supremum hominis bonum.

Ergo vana fallaxque opinio ista est : homint̄ ad ejusmodi Epicuream felicitatem esse conditos , ac ejus duntaxat causā , esse vitā donatos . Hanc eorum beatitudinem non nos tantum , sed & ipsi risu explodentes Stoici , in ipsa & sola virtute summum hominis bonum collocatum esse docuerunt . Quisquis ergo juxta Stoicos totus se se virtuti quærendæ tradet , sola virtutis adeptio & possessio , cum vere felicem efficiet .

Nos jam Christiani , & omnem , & supremam hominis felicitatem , in nulla re alia collocamus , sed totam quantam huc revocamus : ut nimirum ultimum finem suum , ad quem homo est conditus , adipiscatur , cum illoque æternūm conjungatur : ac hunc hominis finem Deum solum esse sanctissime profitemur : rationem vero , & , ut vocant , media ad eum consequendum , hæc nobis divinitus tradita & revelata suscipimus : ut nempe homo toto vitæ hujus decursu Divino cultui & obsequiis illius se impendat , Deo semper vivere contendat , diligentissima mandatorum ejus observantiā gratiam Dei , ac pretio sanguinis & mortis Christi Dei comparatam salutem animæ mereatur &

& consequatur æternam. Tota Christianæ Religionis vis eo dirigitur.

Christianorum itaque summum bonum est Deus , & salus æterna. Epicureorum felicitas , tranquillitas animi , quam procul- ret collectio & usus bonorum temporalium cum Virtute conjunctus , ex quibus pax & quædam quies mentis consequatur. Stoicorum summum bonum est virtus ipsa , quæ- sita & culta propter semetipsam.

Quæro : quod jam bonum ex his tri- bus recensitis sana ratio mihi præferre suadet ? Atque ita mihi ipsi respondeo :

Si mortalis & corruptibilis esset anima ( secus ac ipsi meliores sapientioresque Philosophi Ethnici censuere ) tunc omni dubitatione seposita , cum Stoicorum opinione conveniendum esset : Ipsam nimirum virtutem fore talis animæ , quæ mortalis esset , summum bonum & finem : sed re ita posita , videlicet & animam & ejus virtutem cum mortali vita omnino desinere , eviden- tissimum semper est , quod talis virtus , quæ interiret cum anima , esset perinde præter- fluens , breve , caducum , & evanidum , ut omnia alia , hominis bonum , quandoquidem hæc virtus , perinde ac voluptates , fortunæ , honores , valetudo , simul cum corpore & anima evanesceret , & proculdubio evocato

è vi-

149 §. IX. DE AMORE VIRTUTIS

è vivis homini nulli amplius bono, nulli utilitati esset.

Sectatoribus itaque hujus opinionis, quod anima cum corpore una solvitur & in nihilum abit, per me licet id quoque affirmare & statuere cum Stoicis: quod virtus propter semetipsam sit requirenda, sit amanda. Nam recte & cum decore vel brevem hanc vitam traducere, & istud exiguum, non parum voluptatis & oblectamenti homini afferat, necesse est.

At enimvero cum & e Religionis nostræ disciplina, & ex sanoire omnium, qui rectius aliquando sentierunt, Philosophia ad nos posteros tradita, (nam hic soli, animalibus voluptatibus toti immersi, & veteres & novi Epicurei inficiantur) aut denique & ipsa Philosophia seposita, cum (inquam) ex Oraculis Religionis ipsius nobis satis superque Christianis constet, animam simul cum corpore nequaquam interire, ac immortalem esse, cumque homo virtutis solius ope ac subsidio consecutari debeat, ac aequi possit supremam suam felicitatem ac beatitudinem, quæ in Deo sola reposita est, in tali jam disciplina & Religione virtus curanda est, non propter solam virtutem, sed virtus ideo consecunda petendaque est, ut homo per eam summum illud & præstans,   
 tissimum,

tissimum , ad quod natura rapitur , attingat bonum , & ad illud perveniat , Deum videlicet , uti ultimum suum finem & metam . *Esse* igitur probum propter solius virtutis amorem , ad speciem videtur res quadam digna laude , est tamen penitus sensus vacua & inanissima , apud Christianos , eosque omnes , qui animam credunt profitenturque esse immortalem .

Hoc insuper adhuc repetito undequare inconcussò principiò : semper nempe incessanterque hominem ad maximam suam in vita aspirare felicitatem , ad eamque votis omnibus tendere ; proculdubio id etiam atque etiam affirmare possumus , quod vanissima & præsertim in *praxi* seu exercitatione actuque vivendi sit nullius momenti hæc Philosophorum cogitatio : *Virtutem* scilicet propter ipsam virtutem curandam esse , eo quod illa sola hominem felicem efficiat . Quis enim contrà non videat , virtutes æque ac crimina esse in terris felicia ? Quid dico æque ? imo vero etiam sæpius scelera esse longe feliora virtute . Patet igitur luce clarius : ipsam virtutem non esse id , quod nos in hac vita pro votis nostris , ea ratione , qua nos exigemus , proque naturæ nostræ conditione & statu , beatos omni ex parte efficiat . Nam reapse felicem in hoc

mundo

## 142 §. IV. DE AMORE VIRTUTIS

mundo beatumque hominem quid aliud  
pasim apud nos mortales , quid præcipue  
apud Epicurum constituit ? nisi corporis sa-  
nitas , præstans ingenium , honorum , com-  
modorum , divitiarum & idgenus bonorum  
affluentia ?

Quid jam clarius veriusque esse potest ,  
quam quod virtus nemini valetudinem ,  
opes , honores & commoda per se ipsam tri-  
buit . Hæ siquidem res pessimis etiam homi-  
nibus , omni virtute vacuis , & sæpius quidem  
obtingunt , quam probis & sapientibus . Imo  
vero quid etiam evidenter , quam quod  
maxime probi sanctique Viri propter ipsi-  
usmet virtutis professionem , per frequenter  
infelicissimos se se in hac vita reddant ? ac  
propter eam agros , fortunas , Domos , Ci-  
vitatem , amicos , libertatem , honorem ,  
tranquillitatem , salutem , imo ipsam vitam  
eant perditum ? sæpe etiam fama ipsa peri-  
clitantur . Jam igitur homines isti secundum  
naturæ sensum humanamque conditionem &  
opinionem erunt infelices , utpote miseri ,  
despecti , & abjecti in hac vita , in corpo-  
re animaque incredibiles molestias & sup-  
plicia perferent , erunt tamen probi . Cum  
itaque naturalis instinctus ad desiderium suæ  
propriæ felicitatis homines continuo pertra-  
hat & impellat , hæc vero felicitas cum in  
pauper-

paupertate, fame, contemptu, persecutione, vinculis, servitute, quæ saepius virtus patitur, secundum existimationem communem reponi nequeat, cum potius inter bona omnino ab hominibus numerentur, fortunæ, commoda, voluptates, facultates, existimatio, potentia, omniumque cumulus, quæ mundus colit ac suspicit munerum, quæ faciliora sunt obtentu per fraudes, dolos, ac sceleras, quam viâ recta virtutis: jam proinde liquet, virtutem non esse medium quod-dam seu modum efficacissimum ad beatos nos in præsenti vita efficiendos, tantoque minus esse illam solam hominis unicam & ultimam in hoc mundo felicitatem, quo verius est, nos quoad vivimus, continuis & à na-tura nostra, & à virtute inseparabilibus colluctari ærumnis & malis. Colere ergo vir-tutem propter ipsammet ejus speciem, & tam hujus totius vitæ curriculo calamitosos miserosque esse, quam nullam ex ea spem con-cipere futurorum bonorum, nonne jam igi-tur ridicula hæc est Stoicorum nostrorum, ut jam toties innui, opinio?

Mortalium quilibet quanto prudentior est, tanto perspicacior in fine suorum labo-rum operumque diligendo esse solet. Labo-rem autem tam arduum, sine ullius fpc  
commodi perpetuique emolumenati, sibi ini-  
ponere

ponere in virtutis studio, cuius certe acquirendæ ratio & conatus perdifficilis est, ac naturæ in malum semper propensæ expeditæque gravissimus: sine mercede vero ulla firma stabilique tantos conflictus virtutis causâ cum natura ipsa suscipere, affectionibus, motibus ac vehementibus ejus impetibus obluctari, continere vallis & repagulis continentia, cupiditates, vim sibi inferre continuam, ac triumphos agere de se perpetuos, cui bono? cui inquam bono? nisi ut duntaxat sibi ipsi placere, vanitatem nutrire propriam, se Philosophum ostentare, intumescere longa rectefactorum, quæ coram nobis ipsis producimus serie, delectari denique & applaudere sibimet liceat Stoica illa virtute, quæ re vera nullis nos malis molestiisque præsentis vitæ eximat, quæ nihil nobis post brevem hanc vitam profit, & nobiscum depereat. At enimvero ingenuæ illud vereque dictum est: *Gratis panitet esse bonum.* Pulchre illud equidem pronunciatum videtur: *Sibimet merces pulcherrima virtus.* At perinde pulchre & illud: *Virtutem quis enim amplectitur ipsam, præmia si tollas?*

Parvum ergo admodum virtutis præmium est, ipsa quædam animi in ea perbrevis cum brevi vita oblectatio & jucunditas, quæ etiam continuò tot amaris miscetur, tot

tot malis turbatur : vilis ejus merces est , ipsa inanis gloria : incerta illius remuneratione est , tranquillitas & quies mentis , quæ nobis è virtute promittitur , cum hic certior , ex odio malorum & persecutione virtutis , inquietudo exagitet , & calamitas continua probos maneat : oportet igitur hominem , non hæc mox dicta , sed alium omnino longè meliorem ac sublimiorem sibi scopum & finem virtutis præfigere , quem ei optimus & sapientissimus Auctor hominis præfixit & revelavit.

### §. X.

#### OBJECTIONES ET RESPONSA.

*Ubi & de imbecilla vi humanæ Virtutis , & de vero Virtutis scopo.*

**Q**uid ad hæc Philosophi ? eam ipsam (inquit) animi pacem , tranquillitatem & internam malaciam , quam in medio anxietatum , probus homo , quantumlibet infelix , persentit , satis amplum esse virtutis præmium. Penitus tamen intimeque perpenfa hac eorum sententia , sonum tantum elegantem verborum , remque pulchram dictuca continueri comperiemus.

K

Nam

Nam & ego huic rei libenter assen-  
tior, maximum id lucrum, summamque  
hanc fore è virtute utilitatem, si me ex-  
tremis vitæ hujus ætumnis & miseriis obru-  
tum, gravissima quæque patientem, gemen-  
tem, aut ab hostibus dire impetum, aut  
ab amicis undequaque derelictum, nihilo-  
minus illa internè tranquillum, hilarem,  
contentumque redderet. Sed ego manifestè  
animadverto, imo contrecto & experior, quam  
vana hæc Stoicorum (qui nullo malorum  
sensu se affici jactitant) virtus, derisa etiam  
à priscis Philosophis, id in me nequa-  
quam efficiat, ut in calamitosissimo vitæ mœ-  
dum accidit, statu, interna pace lætitiaque  
constanter perfruar, aut ut illa in gravio-  
ribus fortunæ animi & corporis afflictionib-  
us perfrui, ullum istorum, (qui se ita  
nuncupent) Philosophorum, viderim : qui-  
bus potius, dum mali aliquid adversique  
perferre coguntur, diras in Deos homines-  
que vomere, status sui calamitates exagera-  
re & deplorare, vindictam in eos, quos ma-  
li sui autores putent, spirare & querere,  
soleenne perpetuique moris est. *Philosophari*  
*sermonibus facile est, rebus autem arduum,*  
ait & insignis Philosophus & Sanctus Præ-  
fus Isidorus. Apagè igitur cum tota ista  
superba virtutis & constantiæ Philosophicas  
ostenta-

ostentatione: fateamur necesse est non habere nos tantam vim animi , non habere totam ipsammet naturam tantum roboris , sine ea , quæ *supra naturalis* à nobis nuncupatur , cælesti ope , simus ut tum intime quieti læti pacatique , cum bonis omnibus exuti vel depulsi , fame tabescimus , cum egestas & inopia omnium rerum nos premit , cum corpus acerbiores dolores morbique conficiunt , cum intolerabiles casus nobis rem omnem familiarem eripiunt , cum Tyrannus carceribus libertatem , suppliciis nobis vitam eripit , cum hostis nos ad incitas redigit , & adhuc miseris derisor insultat , cum amicus , necessarius noster , aut sanguine junctus nos in ærumnoso statu deserit , nosse dissimulat , saepius etiam indigne prodit : ac ingratus beneficia maleficiis rependit : hoc insortunium , ingemiscere solemus , ac dicere , me fortius est , viresque exsuperat meas . Ficeri-ne enim potest naturaliter ut in ejusmodi miseriis , afflictionibus , calumniis , contumeliis , doloribus , cladibus , absque demissio divinitus auxilio & singulari præsidio , cum tota hacce Philosophica virtute , nos immoti , nos tranquillissimi maneamus , etiam gaudio exultemus , dum virtus hæc nihil nobis mali in præsentiarum minuat , quid si etiam nihil boni vita exacta promittat ?

Tunc contra mihi , Socraticæ , cum cicutam epotaret , mentis quietem ? tunc mihi contusi sudibus Anaxarchi illud : *Tunde Anaxarchi faceulum , Anaxarchum non tundis* ? tunc mihi Senecæ animam guttatum placidèque è venis in tepidæ aquæ balneum effluentem commemores ? At enimvero an nescis quantum Populo debeant , quantum populi auram captent Philosophi vanissimi suæ ostentatores constantiæ ? Excruciantur ringebanturque intùs tyrannide , injustitiâ , dolorisque intimo sensu torti , ast Philosophica illa dissimulatione , Stoicaque superficie & yultu usi , Populi acclamations & plausus , nomenque heroum , apud suos & posteros deperiere isti . Attamen etiam si non esset omnino incerta , etiam si non esset futilis , quia brevis & interitura hæc talis gloriæ merces , erat & est illis certissimè undequaque inutilis : nullum enim sensum , in altera vita , ut ipsimet fatentur , habent hujus gloriæ , nullam post mortem ex ea voluptatem percipiunt , cum ut certius , saltem autem juxta eos probabilius opinentur , nullibi , cum nihil post mortem sint . An non paulò sanius itaque illi rem intelligunt , qui ita , ut in proverbio est Italisch ratiocinantur : *morto me , morto il mondo* . Quid igitur mihi vita in virtute peracta , quid

quid mihi morte sortiter oppetita , cum illa,  
dum jam non ero , aut potius nihil ero ,  
gloria? nihil ero? ad me itaque illa nihil  
pertinebit. Si post fata venit gloria , non  
propero.

At forte , quod illam , cum adhuc in  
vivis es , præsentias , tatis id ipsum tibi vo-  
luptatis affect? heu brevis , vana , momen-  
to temporis circumscripta voluptas , ob quam  
dolores , ærumnas , tormenta , & vel tyran-  
nidem , vel mortem acerbissimam placide  
tranquillèque tibi ferendam non dubites.  
Nimia profecto est vis vanitatis in Philoso-  
pho : nam quid vanius , quid inanius ,  
quam adeo per breve , adeo exiguum & eva-  
nidum pretium arduæ difficultimæ & labo-  
riosissimæ virtuti ponere ?

Quo quæso tandem vergit , quem sco-  
pum attigit , illa in Leontio animi fortitu-  
do? dirioribus quam exprimi potest lethalis  
morbi excruciatuſ tormentis : o dolor ( in-  
quiebat ) crudelis dolor ! ſævi , & exere  
majores quantumvis in me vires , a me id  
nunquam extorquebis , ut dolere me fatear.  
Hoc sublime , hoc heroiçum , hoc Philoſo-  
phicum , Zenonium , Stoicum! Ergo vir iste  
gravissimæ doluit , ſed Stoicorum vaniſſimus ,  
hominem ſe fateri , ſe ſe inferius indi-  
gnumque putavit. Quid jam ille ? niſi lau-

dem fortitudinis & constantiae quæsit? habet itaque laudem constantiae, quam Socrates, quam Anaxarchus, quam Catones, quam Tullius Cic: quam Seneca, quam Marcus Aurelius, summi quidem viri, paucique, iis similes. At enim, ad quod dixi, redeo, sentiuntne hanc laudem? minime: sed eam inquis præsenserunt; fruuntur ne oblectatione hujus gloriae? minime, sed eam, inquis, animo, dum adhuc viverent, occuparunt. Sed quid jam erit rerum humana-rum gloriaeque vanitas, si haec non est? Nam quid homini post brevem vitam, dum totus deperit, inutilius hac gloriola? O curras hominum & quantum est in rebus inane! Itaque solo studiō, desiderio, & amore vanitatis, quidquid arduum in virtute est, superarunt isti. Talem iis virtutis mercedem ego minime invideo, Christianus non invidet.

Plenus Religione Christianus aliud longe quiddam præsentit, aliud querit; non post mortem, gloriosam sui in mundo memoriam, quanquam haec vel illo incogitante, velut umbra virtutem sequitur, non pacem, latitiam, voluptatemque animi, quanquam & haec liberæ a culpa conscientiæ individua soleat esse comes, non denique malorum dolorumque medelam, quanquam

ſepe

sæpe virtutem, cælesti ope accedente, per quam efficacem dolorum domitricem experitatur: sed quid in virtute intendit, quid præsentit, quid querit? id quod Job: *scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum:* id quod Eleazarus, id quod Machabæorum illustris Parens, id quod infiniti Martyres Sanctique homines, quæ omnia ludibrio sunt Theistæ.

Probus itaque Christianus, cum summas anxietates, cruciatum, & afflictiones suas, patientiæ virtute sibi tolerabiles reddere studet, scit profecto quod hæc virtus illi sensum morbi, inopiæ, aliisque calamitatis non adimet; verum summo illum perfundit gaudiô placida dolorum tolerantia, dum voluntatem suam ad Divinam conformat; quæ obedientia Deo debita, illum vitâ beata reddit dignorem, quæque æternum à Deo justo Judice coronabitur. Hæc spes, est vera, est unica in summis angustiis ejus consolatio: & hac privatae hominem, quod Theistæ faciunt, tyrannis quædam est. Si enim sub bono & justo Deo, hac in vita, malis prospera, probis infausta quæque eveniant, Christianus credit per Divinam justitiam & bonitatem, virtutem in altero sæculo esse omnino debere, & fore felicem.

K 4

Et

Et istud est vel maximum morale argumentum pro immortalitate animæ , quod illam magis probet & afferat , quam omnia Philosophorum argumenta : in eo maxima Christianæ Philosophiaz vis est.

Ast ego , concessio quod Christianus non sim , neque credam , virtutem mihi ad salutem æternam esse profuturam , homo sim interim ratione & virtute præditus ; adeoque ita mecum recogito : dum pejora in hoc misericarum domicilio perpessus fuero ipsis belluïs , quid deinde fiet de me ? moriar , & æque cum corpore anima & virtute in nihilum redigar : hæc ipsa mea cogitatio & præsensio , tristisque nihili præfigitio , poteritne me reddere tranquillum & hilarem ? nonne potius prævisa ejusmodi mea sors , & in nihilum abeundi necessitas , in profundum tristitia & summæ desperationis me præcipitet ? cum toties meditor & considero , virtutem , & in hac vita mortali , esse miserrimam semperque fere intauastam , & post vitæ terminum nihil omnino mihi profuturam . Nam quod me e vivis sublatō , brevissimo quodam tempore sortassis aliqua mei memoria supererit , ea certe præprimis & perbrevis & vanissima , nec mihi erit cognita , nec ullum profecto in me sensum  
excita-

*excitat. Si post fata venit gloria, non profero.*

Parum ergo admodum hos Philosophos cogitare oportet, si id non possunt, cogitando mecum, assequi, virtutem nempe hanc Stoicam, expertitam propter se ipsam, nihil omnino boni solidi afferre hominibus, imo potius illos exquititiū torquere & excruciare, infaustorum omnium hac in vita sāpius cam esse fontem, inquietissimæ & tristissimæ vitæ sāpius causam esse, tantoque pejorem, quod etiam futuræ melioris vitæ spem omnem excludat.

Si itaque *nihil* omnino *melius* cum tota quanta virtute in altera vita sperandum nobis est? quam jam mentis non integræ, quam fanaticus, quam imprudens est ille Philosophus, qui in hac vita virtutem propter illam ipsam expertit, afflictionem animi, & dolorem corporis, ejus gratia absque ullo solido præsentis mali, quod perpetitur, vel lenimine vel levamine, absque ulla spe alicujus futuri permansurique *ex ea* boni tolerat? Cur potius hic deridendus Philosophus, quacunque ratione & via non satagit, se in hac vita, quæ cum halitu in auras dilabitur, felicem, qua data porta patet, reddere? cur non potius omnibus vel depravatis animi moribus & affectioni-

K 5 bus,

bus , cur non potius inclinationi voluntatis ad omne volupe , & omnibus desideriis ac cupiditatibus quanquam virtuti adversis , obsequitur ? cui semel persuasum est , virtuti in altera vita nihil omnino melius , nihil felicius eventurum.

*Nullum sit pratum , quod non pertranseat luxuria nostra ,* ait apud Salomonem perdita illa Juventus , causamque adducit , quia non est , qui agnitus sit reversus ab Inferis. Hæc equidem falsa est , adversaque Evangelio , Scripturæ , ac Historiæ , & causa & consequentia ; sed hi effrænes Juvenculi melius ratiocinari nostris videntur Philosophis , recta est eorum Logice , naturalis consequentia , nam connexa cum suo principio , quanquam à Christiana Religione penitus aliena.

Sed si verum denique hoc loci fatendum est , non doleamus tantopere istorum Philosophorum vicem , nec eos male adeo ratiocinari queramur : sciunt illorum quam plurimi , quid indulgendum sit , imo concedendum mortalibus , qui nullum virtutis præmium in vita futura expectant ; eundem cum brutis præstolando animæ finem , per multi eorum eandem quoque vitam cum brutis vivere minime erubescunt : & dum ita vivunt spe & metu omni æternorum exclusis ,

exclusis, caram sibi virtutem declamitant.  
Sinamus jam eos cogitare ut volunt.

Nos contra Christiani amamus virtutem, at non propter ipsammet virtutem; apud nos solus & unicus Deus est, qui dignus sit propter se ipsum amari. Perfectissimi sanctissimique viri, ad eum satagunt elutari enique gradum, ut ne quidem ob suam salutem æternam, sed ut Deum ament, ob ipsum Deum dignum undeaque infinito amore. Felices, quibus datum est ad illud culmen verissimi, summi & castissimi amoris Dei pervenire. Is enim solus sic amari meretur; at virtus modo eodem nequaquam: ea enim Deus noster non est. Præterea Deus nos diligit, scitque se à nobis diligi: virtus vero nescit se à nobis amari, nec nos redamare valet. Vir vere probus eo amore virtutem prosequitur, quo avarus gemmas & aurum, non propter aurum, sed ob derivata in se ex auro commoda. Nec virtus aliter amari valet: ast Deus solus, ut dictum, & potest propter Deum & debet amari. Nos itaque Christiani Deum conamur, quantum infirmitas virium nostrarum potest, solius causâ Dei diligere, sed non virtutem causa solius virtutis: virtutem enimvero respicimus tanquam modum & medium, per quod transcendum est ad possi-

possidendum Deum; scimus enim illam Deo placere, per illam nos Deo tanquam principio & ultimo fini conjungi; quare illam & Dei & nostrae causae salutis expetimus. Optime id cum nostra Ecclesia nobis exponit Augustinus, dicens: virtutem non esse finem hominis, sed esse medium ad ultimum finem. Deum igitur animaque beatitudinem, esse nostrum ultimum finem, virtutem vero medium. Qui decurrit ad terminum, solet pervolare & relinquere medium, non in illo conquiescere. Gentiles Philosophi etiam sapientissimi hic errasse reprehenduntur, ait idem Doctor, quod virtutem pro termino, non pro medio posuerint. Christiani Philosophi, imo & omnes & populo nostro simplices, illis longe superiores sunt, eo quod colant virtutem, tanquam rationem unicam asequendi Dei aeternaque in illo beatitudinis.

Verum quid amplius nobis contra ista opponunt hi solius honestatis humanae & naturalis Religionis Praecoues, audiamus. Ajunt enim, penes ipsos solos esse gratuitum & sincerum virtutis amorem. Virtutem siquidem, ipsius virtutis gratia se colere gloriantur, uti absque spe ulla praesentis aut futurae mercedis, ita absque ullo pro eadem neglecta vel contempta timore. Apud Christianos

rianos vero virtutis amorem ( inquiunt ) esse omnino vilem & mercenarium, cumque utpote aut è cupiditate commodi , aut ex metu pænæ provenientem explodunt. Christianos etenim absque præmiis, quæ expertent , aut absque pæna in inferis , quam metuant , ajunt nullum passum in virtute facturos. Quod quidem argumentum quam arrogans , superbum , & irrisoribus istis dignum , tam iniquum & ridiculum , vix responsionem meretur.

Respondeo tamen , *imo*. Videri palam & patere nobis plus quam satis , gratuitum hunc sine spe præmii , sine metu pænæ , virtutis amorem in permultis nostri ævi Theistis & Philosophis , sive privatam eorum , sive civilem inspicias vitam. In privato , nihil ex illis plerorumque vitâ turpius , nihil animalibus similius : in publico , perniciiosius nihil : si enim ad Principum admittuntur consilia , isti virtutis propter seipsam amatores , honesti illi sine ulla religione homines , mox Principibus sine ulla conscientiæ molestia & aculeo , authores sunt , ut ex alieno ditescere , Ditionum limites per fas & nefas pretendere , vicinos astu , vel vi aggredi , fortunas , Pagos , Civitates , Provincias , per omne nefas suis Possessoribus eripere , sanguinem instar aquæ , humanum fundere,

fundere, extorquere enormes census & tributa indebita, libertatem Nationum opprimere, omnemque tyrannidem in alios, quamvis iure belli, exercere, non dubitent. O! quoties populorum calamitosissimus & deplorandus status, evidenti documento est, quid istis Philosophis Principibus, quid Philosophis eorum Ministris, qui virtutem propter ipsam virtutem amare se jactant, genus humanum debeat. Jam si eos in societate humana spectes, nihil mali est, quod in damnum alterius sine ullo conscientia scrupulo perpetrare non audeant, modo se se alios super evchere, primosque valeant honoris fortunæ & dignitatis gradus assequi. En gratitudinem amorem virtutis, qui nihil à Deo in vita futura expectet, & nihil metuat. Quod si ( ut opponere possunt Theistæ ) Christiani quoque, cum tota quanta spe Cœlestium præmiorum, cum toto æternorum suppliciorum metu, eadem sèpius committunt flagitia? non inficior, sed indubitanter sanctèque affirmo, esse Christianos ejusmodi nomine tantum, non re ipsa Christianos; illos quoque virtuti ob solam virtutem studere, æternæ ejus mercedi renuntiasse, omnem pñnæ æternæ metum excusasse, uno verbo non esse Christianos, sed Theistas,

Theistas, sed Philosophos, sed homines honestæ, ut vocant, Religionis.

Respondeo secundò: quodsi apud istos Philosophos, mercenaria ut ajunt virtus, tantopere vituperabilis, contemptuque digna est, sciant profecto illos ipsos huic justæ vituperationi & contemptui esse maxime obnoxios. Reapse igitur falsius nihil est, quam ab iis virtutem amari propter ipsam solamque virtutem. Quamvis enim, ( homines nimirum increduli ) æternam pro operibus justis proque virtutis merito nec admittant, nec præstolentur mercedem, evidentissimum tamen est, quod longe quidem minores, viliores, incertos, saepe & virtute indignos, sibi ex ea proponant ac pollicentur fructus. Absque ullo e virtute proficiente bono lucroque, virtutem ut diligent, futilis omnino & imaginaria res est. Certissimum est neminem illorum gressum unum versus virtutem facturum, absque ullius spe emolumenti & commodi. Secus si verum fateri volumus, ne humanum quidem, nec naturæ conveniens, imo stultum omnino esset, sine re mercedeque ulla, propter purum virtutis nomen, vacuamque imaginem, quidquam boni agere. Jam igitur spe placendi hominibus per actionem virtutis, ad eam incitantur; jam laudis, popularis venera-

## 160 §. X. DE AMORE VIRTUTIS

venerationis , famæque studiô ; jam bonæ apud posteros memoriæ dulcedine , ad virtutem alliciuntur & impelluntur ; jam desideriô , ut ad id , quod apud Principem vel Populum obtainere cupiunt vel ambiunt , promoveantur , quo facilius id asequi possint . Hæc illis ad virtutem esse incitamenta solent . Sed esto denique nihil ut aliud in virtute spectent , quam quoddam vitæ pacatæ solatum , intimum quoddam decus & voluptatem animi : eô ipso jam liquet , non gratis eos amare virtutem , nec pro nihilo , sed semper in hac vita propter bonum quodpiam proprium , sive verum , sive falsum . Hoc igitur inter nos illosque discriminis est , quod nos pro virtutis actibus , & temporalia , quibus egemus , præstolemur bona , & pro æterna ad Deum suspiremus mercede : quam illi nihili pendunt , & tanquam rem confitam despiciunt , ac in temporali virtutis præmio conquiescent . Sed ut sine ullo ex ea commodo , speque alicujus ex ea boni , illam ut solent declamare , depereant , id ita esse , ne sibi ipsis quidem persuadebunt . Homo siquidem , ut initio diximus , vi naturali amoris proprii ad suam continuo felicitatem tendit , nec potest non tendere . Quis itaque recta ratione prædictus id in illis non condemnet , quod rei tam excelsæ ,

celsæ, tam nobili, tam divinæ, qualis est virtus, non æternum duraturam, non ead dignam, sed vanam, brevem, & fluxam assignent petantque mercedem?

Quod si aliquos jam ex his Philosophis, ob tam viles fines pudet sectari virtutem, si jam nonnulli istorum, refellendo ea, quæ opponimus, sua hac in parte dicta revocare, ac affirmare recentius comperiantur, ideo à se coli virtutem, ut non modo in hac vita, verum etiam in futura felices beatique sint, si inquam hæc ab iis in nonnullorum Scriptis prodita menti eorum consentiant, jam nos inter & illos, quod attinet ad supremam hominis felicitatem, verumque virtutis finem, nullum discrimen supererit: Utique enim tum fatebimur, finem virtutis esse ipsum Deum, & animæ beatitudinem sempiternam, non autem virtutem terminare seipsum.

Respondeo tertio, nihil esse justius, sanctius, laudabilius, salubrius & utilius, quam in supremam mercedem virtutis, ipsum Deum sibi proponere, adeptionemque æternæ felicitatis omni animi contentione querere. Hoc sane solum, hoc pernecessarium, hoc unicum, hoc verissimum est hominis negotium, ad Deum per virtutem tendere, Deum adipisci, Deum possidere, Deo in

æternum frui. Ad hunc vero terminum aſſequendum , nullum eſt aliud medium, præter Christianam virtutem , quæ eſt sanguine Christi & ejus meritis tantum derivat pretii , ut quanquam hæc noſtra perquam exiliis virtus ex natura ſua cum infinito quod ſperamus præmio , æqualitatem nullam habeat , juncta nihilominus immenſis Redemptoris noſtri meritis , videtur efficiturque ſufficiens , ad comparandam infiniti valoris mercedem , id eſt ad adipiſcendam poſſeſſionem Dei.

Deus ipſe in toto Scripturæ contextu , & per Christum in Evangelio , dignatus eſt id nobis revelare , unica nempe virtutis ratione , nos poſſe Deo conjungi , hac unica viâ terminum æternæ beatitudinis poſſe a nobis attingi : *Ibunt de virtute in virtutem videbitur Deus Dcorum in Sion.* Et Christus : *qui bona egerunt , ibunt in vitam æternam.*

Vos ergo ſitæ in ſola honeſtate humana Religionis aſſeclæ , vos Philosophi , quam nobis eſt veſtra ſententia ſtatuitis virtutis mercedem , quod præmium ? nihil aliud certe ut declamatis , quam ipsam virtutem. Protestamini enim paſam , quod nos æternorum bonorum pollicitatione , nolitis decipere , quasi vero Christus , Evangelium , Ecclesia  
nos

nos deciperent, qui pollicentur nobis pro virtutum præmio æternam in Cœlis felicitatem. Verum oro, obtestorque vos, quid sit promittere ipsam pulchram virtutem in mercedem virtutis? nonne id idem est, ac promittere laborem pro corona laboris? bellum, propter bellum, nulla alia post bellum utilitate præfixa? ipsum longum & arduum iter, in mercedem finemque absque alio scopo laboriosi itineris? Strenue enim per totum tractum hujus ærumnosæ vitæ decurrendo viam virtutis, quoniam juxta vestram opinionem perveniemus? ad *nihil*, ad interitum cum corpore & anima simul, & ut Scholastici ajunt: *ad non esse*. En vestrum finem præmiumque virtutis, en impendia totius vitæ caducæ curriculô ingenti cum labore facta, *puri nihil ergo: absque ullo in re solidoque emolumento.*

Nos vero (concedite id nobis quæso) faltem æquè ac vos honesti homines, Christiani Philosophi, non è nostro ingenio (cujus tamen pars aliqua & nobis obtigit) sed præsertim ac imprimis è verbo Dei scripro, & doctrina Christi & Ecclesiæ, quos fraudulentos minime credimus, nos inquam orthodoxi, appromittimus nobis, offerimus vobis, præmium virtutis, Deum ipsum: pollicemur animabus nostris, Intellectu ac voluntate

Iunctate præditis, perindeque à brutis discrepantibus, tanquam coronam laureamque virtutis, incorruptam æternamque felicitatem, ad quam post vitæ hujus labores & ærumnas magna cum fiducia suspiramus: *fecisti nos Domine ad te, inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Augustini est suspirium ardensque desiderium. *Vestræ itaque virtutis finem è vestra sententia scitis esse nihilum,* nostra è nostra æternū duraturam felicitatem.

Tam excelsum ergo per viam virtutis inquirere finem, vile ne, abjectum, et virtuperatione dignum negotium vobis esse videtur? nonne potius *sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum,* cum in cassum tantum suscipiuntur labores, aut pro temporali duntaxat laude & commodo, aut pro mero tantum virtutis nomine, & æterna merces ejusdem contemnitur? *Evanuerunt in cogitationibus suis.* Narraverunt mibi iniquifabulationes, sed non ut Lex Tua. Inexprias & nugas mihi confinxere de virtute tumidi & omnino à Religione tua alieni sapientes. Ast Lex Tua Domine, verbum tuum, mens & ratio mea. *Tuo Cœlesti lumine collustrata,* aliud mihi persuasere.

Et Evangelium igitur, & veteres Scripturæ, & ratio mea me edocent, nihil humile,

## OB SOLAM VIRTUTEM. 165

mile , nihil abjectum inesse , tam necessariò , tam pulchrè & laudabiliter *mercenariae* virtuti , quæ Deo credit dicenti : *ego sum merces tua magna nimis* , scilicet infinita ; imo verò hanc unicam solam veram esse virtutem , quæ nos ad Deum & cœlestem beatitudinem elevat.

Contra verò horum honestæ & novæ Religionis Sapientum virtutem , vile quid potius ac inutile quiddam esse , quæ sibi aut semetipsam , aut nescio quam quietem Stoicam , oblectamentumq; animi , aut opinionem & famam apud homines , aut quidquid demum temporale & flum , non Deum , non cælum , finem scopumque præfixit.

Frustra igitur glorientur isti , se è virtutis lege vivere , sufficere sibi , dum , quoad vivunt , ex ea derivent bene vivendi regulas : sapientissime illis respondet magnus , & his philosophis longè major Philosophus Augustinus , dum inquit : *Dicant Pagani : bene vivimus. Quid prodest eis unde glorientur? Ad hoc enim debet unicuique prodeſſe bene vivere , ut detur illi , semper vivere. Nam cui non datur SEMPER VIVERE , quid illi prodest BENE VIVERE?* Quia nec bene vivere dicendi sunt , qui FINEM bene vivendi , vel CÆCITATE nesciunt , vel INFLATIONE contemnunt.

Bene ergo vivere , est bonas actiones morales ad finem ultimum DEUM , & salutem æternam dirigere. Philosophi isti vel concupiscentiâ obcæcati , vel inflati scientiâ , hunc fine aut nesciunt aut contènūt. Proinde hæc , quæ verum finem à Deo constitutum homini vel nescit vel contemnit eorum virtus , non est vera virtus , sed fastu & colore illudit. Nam si temporalis & vanus est finis , temporalis & vana sit virtus

166 §. XI. PRINCIPIA THEISTARUM  
virtus oportet. Omne enim bonum morale à  
fine sumitur.

Oro obtestorque, hinc ut jam æqui rerum  
judices inferre velint, quam id intelix infau-  
stumque sit humano generi, quamque periculi  
plena sit quævis societas & cōmunio cum ejus-  
modi honestis hominibus, qui cū ipsis sint absq;  
Religione, persuadere volunt, ut ait D. Augusti-  
nus, hominibus, ut bene vivant, Philosophi de  
virtutibus & vitiis subtilia multa tractantes, di-  
videntes, definientes, acutissime ratiocinantes, sa-  
pientiam buccis crepantibus ventilantes; nosque  
virtutem docere non desinunt, nobis vero per-  
sona duntaxat & vacua virtutis illudunt imagi-  
ne. Gloriam illis, quam è talibus moralibus sa-  
ne virtutibus Fine ultimo necessario destitutis,  
sibi comparant & merentur apud homines, nos  
quidem minime diminuimus, sed eam illis  
minime quoque invidemus.

### §. XI.

*In quo vera Christiana probitas, in quo juxta religionem  
honestorum hominum, probitas, sita sit: Principia imprimis  
utrorumque quantum diversa & opposita.*

**O**pera, mores & ratio agendi cuiuslibet homi-  
nis, promanant à quibusdam, (prout eas &  
quales sibi quisque statuit) vitæ regulis & prin-  
cipiis. Hæc igitur principia imprimis perpende-  
da sunt, & illa quibus Philosophi isti, seu Reli-  
gionis honestorum hominū Sectatores, & ea, qui-  
bus Christiani utuntur, juxta quæ hi & illi vitæ  
suæ morumque rationes componunt, ut ita u-  
trisque perpensis primum sit deducere, in quo hi  
atque illi suam constituant honestatem.

Quoniam vero opposita penes se posita  
magis elucescunt, uti tenebræ contra lucem,  
colorisque adversi & res dissimiles, si juxta  
se collocentur, melius dignoscuntur: qua-

propter, ut juvenibus facile constet, quidnam discriminis sit inter Sectatorem Religionis, ut vocant, honestorum hominum, sive (ut nunc nomen obtinet) Philosophorum, ac inter hominem Christianum, ostendere nobis incumbit, qua poterimus brevitate, diversitatem maximam inter horum ac illorum *principia, opiniones & Regulas* vitæ.

Dubio jam omni procul id est, hos & illos cum *agendi principiis* ac *opinionibus*, tum vero & *actionibus* inde manantibus, plurimum inter se discrepare. Philosophi quippe, & Ethnici, saltemque ex iis meliores, & nostri temporis, qui eos sequuntur, Deum nonnisi naturæ Conditorem aut opificem & Conservatorem agnoscunt. Ac nonnulli quidem eorum: Inspectionem quandam generalem & Providentiam supra hominum genus illi tribuunt, alii vero, ut jam alias innuimus, assertere non verentur, Deo esse indignum & indecorum, dignitatique ac majestati Numinis derogari ab iis, qui potent, mentem Divinam re tam abjecta & exigua miseroque animali, qualis homo sit, occupari; Deum curiosius inquirere in dicta, cogitata & facta Mortaliuum, & hoc est primum, pessima inter alia, eorum Philosophiæ morumque Principium: Deum *tenebre orbe semel condito, & cursu generali*

*rerum sapienter semel ordinato , conservatiōni specierum intendere ; individua p̄fertim libera & humana omnia ne respicerē quidem , casu ea suisque volvi ac regi vicibus : aut nescio quo fatō circumagi : humana omnia ut scitu illi inutilia esse , ita Deo esse ignota.* Unus quidem hoc ævo eorum coryphæus dicere non erubuit , ignotum Cœlo esse , utrum sit quisquam Rex Galliæ vel Borussorum in terris : Eximus profecto Flacci Epicurei Discipulus , somniantis . *Didici Deos securum agere ævum ,* (\*) id est otiali : seu quod eorum nihil intersit , scire quidquam & nōesse , multōq; minus sollicitos esse de rebus nostri Orbis , quō tranquillus suam epotent ambrosiam.

Apage cum his oscitantibus & dormitantibus Diis. Quid enim interest : *Utrum Deos neges ? an infames ?* inquit Seneca. Jam possitne convitum gravius excogitari in Deum , quam si eum prives curâ & providentiâ mundi & hominum ? quam si illi  
oblivio-

(\*) *Sat. V. - - - - Credat Iudeus apellat  
Non ego , namque Deos didici securum agere ævum :*  
*Nec si quid miri faciat natura , Deos id  
Tristes ex alto cœli demittere teō :*

oblivionem, incuriam aut odium Generis humani imputes?

Philosophi contrà Christiani nobiscum consentientes, credunt: Deum, quemadmodum hominum ad suam gloriam creârat genus, ita curam cuiusvis agere, omniumque cogitationes verba atque opera inspicere & scrutari. *Dinumerasti gressus meos: cognovisti cogitationes meas de longe.* Neque in eo quidquam opinantur humile, abjectum, aut à Dei dignitate alienum: siquidem perspicientia & examen ejusmodi nullo penitus illi labore & difficultate constet. Contra ac ille naturalis Historiæ Scriptor ridiculè sanc protulit: *Panas maleficiis aliquando seras, occupato Deo in tanta mole, sed nunquam irritas esse:* quasi vero ingenti magni Orbis gubernatione distracto Deo non sit integrum, festina, cum vult, supplicia parare in impios.

Stultius adhuc illi opinantur & garrint, qui tempus ad tot negotia haud suffeturum Deo arbitrantur, neque citra summam molestiam id fieri posse, ut in tam extensa & ferè infinita rerum procuratione omnibus provideat, omnia videat, omnia regat & disponat.

L 5 Inter-

## 170 §. XI. PRINCIPIA THEISTARUM

Interrogare mihi eos liceat , minusne illis videtur è nihilo producere Verbo universum mundum, Cœlos, terram , Spiritus ac homines? quam intueri quomodo se se quisque hominum gerat? Primum omnipotentia poterat , cur alterum infinita ejus intelligentia & sapientia non possit ? *Qui finxit singillatim corda eorum , ille non intelligat omnia opera eorum ?* & ultra sensum & ity-lum Davidis sequendo : *dixerunt peccatores: non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob: intelligit infipientes in populo & stulti aliquando sapientem qui plantavit aurem non audiet ? aut qui finxit oculum non considerat?* Dominus scit cogitationes hominum quoniam vane sunt. Imo vero si quidquam aliud , hoc sane omnipotentiam , sapientiam , ac infinitam Numinis declarat bonitatem, quod simul , unoque , ut ajunt , quasi iœtu oculi , suas res creatas videat , quod unico intuitu perscrutetur , quidquid in illis lateat : quod non despiciat sed diligat ea , quæ creaverit , quodque cuivis homini ratione prædicto , cum ut felicem beatumque reddat , præsenti sua opere non deest. Adeoque illum potius derogare Omnipotentiæ , bonitati , sapientiæque Divinæ , Christiani Philosophi merito asseverant , qui putet aut deficere Deum viribus , ne omnia hominum omnium mente queat

queat complecti , idque illi permolestum nimiumque laboriosum fore , quemvis singulatim regere , cuivis providere : aut rerum cum ratione & mente ab eo creatarum contemptum neglectumque ei tribuit , quasi nihil curet humana : Hoc profecto **primum Principium** : hæc opinio est impia , ac omnipotente , sapientissimo & infinitè bono Deo indigna : sed quæ simul teterimus fons est , prima causa & origo omnis impietatis , ac flagitiorum & morum sæculi.

*Alterum eorum Principium* ; quod nempe dicti toties Philosophi & que in hac ac *futura vita nullum præmium suppliciumque admittant* : siquidem dogmati de animæ immortalitate adversantur : dum animam hominis aut è materia extrahunt , aut cum veteribus Platonicis pronunciant , difluere eam penitus , & ut aquam fracta lagenâ , in mari , ita eam absorberi in immensitate & æternitate Dei , ut desinat esse amplius persona , hominisque *individuum* . Ita quò eam præmio pñæque æternæ subducant , in nihilum *individui* illam redigunt . Nostri Philosophi affirmant animam immortalem esse , ad imaginem Dei eandem creatam , esse Spiritum , penitus à materia discretum , infusumque à Creatore corpori , intelligendi vi , memoriâ , voluntate , ac plena liberta-

te , sive ad hanc , sive ad male agendum præditam , cæterisque dotibus mirum in modum evidentissime distinctam à belluis , atque ideo cùm ex sua spirituali natura , tum vero extrinsecus è Dei voluntate & decreto , æternam , & vel perenni in cælo beatitudine , vitâ in virtute peræcta , donandam , vel perennibus ob scelera à justo Deo addicendam suppliciis . Quod jam , ex his duobus , dogma ad vitam sancte innocenterque peragendam , ad virtutem & intaminatos mores , majori est hominibus stimulo ?

*Principium Theistarum 3tium.* Philosophi , de quibus agimus , neàum quo ad dogmata fidei , sed etiam quo ad dirigendas ad bonum morale vita nostræ actiones , verbum divinum , seu legem scriptam , ac omnem revelationem superbe respuunt ; ejus autem & legis divine loco , ad omne bonum morale , virtutemque producendam in homine , Instinctum quendam intimum moralem , & Evidentiam boni & mali , satis esse statuunt . Christiani vero sapientes in auctoritate Dei revelantis , ac in sacra Scriptura , non juxta privatorum hominum interpretationem , sed juxta Ecclesię & Conciliorum doctrinam intellecta , summam rei , totamque vim collificant : perlibenter agnoscunt & profitentur , quod Creator Deus Opt: Max: nostram luce  
revela-

revelationis suæ colluстрет rationem, cælestibus, æternis, & supra naturam positis rebus cognoscendis per se non idoneam, ac iis inferiorem, utpote vel in cognitionibus suis naturalibus satis debilem, dubiam, & erroncam; agnoscunt, quod nos necessario Deus adjuvet, & elevet ad cognoscenda æterna, immortalia, quæ naturæ cognitionem superant, sine quibus tamen nulla salus; agnoscunt denique, quod præsertim sua divina lege ac eadem cælesti mandatorum suorum luce nos Deus ad omne morale bonum, & ad veram virtutem conducat, eamque ipse in nobis efficiat.

Non parùm jam, imò plurimum, Theistæ Philosophi, nedum saluti æternæ, sed & moribus hominum eō nocent & derogant, quod palam docere ausint, posse nos mortales, summa omni virtute præstare, sine ulla nobis data præscriptaque à Deo veteri & nova lege, sine revelata mercede virtutis in altera vita, sine timore pænæ, sine Dei ope, & ad producendum actum veræ virtutis sine Dei efficaci auxilio, cum ut suprà innuimus, Theistæ cum Philosophis Ethnicis, nos metipsostræ esse auctores virtutis, *Deo autem virtutem nostram minime in acceptis referendam esse*, audacter affirment. O! virtutem

tutem quidem, sed vanam inutilēmque animæ, cuius Deus non sit auctor, virtutem!

Philosophi itaque isti, ad virtutem, quæ nos beatos efficiat, nec divina manda-ta, nec revelationem ullam, necessaria esse cōtendunt cum Bailio: *instinctum* verò, seu *sensum moralem naturæ, & evidentiam*, seu evidentem notionem boni & mali; ad omnem virtutem in nobis excitandam & producen-dam omnino sufficere, corum sententia est.

Sed examinemus quæso de virtute ratio-nationem du *Baile*. Deo virtutis in nobis auctore excluso, ut revelationem nihil in nostros mores influere ostendat, inquirit iste in suis *Cogitationibus*, quid illud est, quod in nobis virtutem efficit? seu quæ sunt principia prima, causæ primæ, quæ effici-ant, creentque virtutem in homine.

Jam quod hac in re imprimis perface-tum est, quod videlicet *Baile*, homo nedum Religionis Christianæ, sed & omnium Reli-gionum hostis infensissimus, adeò sit sollici-tus, anxius, diligens, curiosusque, in de-tegendis veris virtutum principiis. *Baile* igit-ur ille, qui ad istum (res enim suis voc-i-bus denotare fas est) impietatis apicem per-tigit, ut cum post longam disputationem statuisset, Atheos posse veris summisque vir-tutibus esse præditos; id jam denique ( in sua

sua thesi quidem non hypothesi , nam ita excusari solet ) id inquam plurimis confirmare nullus est : Nationem quamquam , quæ solis Atheis constaret , posse regi feliciter , fortunatamque fore ; is ergo ipse Baile plurimum philosophatur , scribitque de virtute , ipse prima ejus principia eruit , ipse Magister virtutem nobis commendat , virtutem nos docet .

Sed quid imprimis magis potest esse ridiculum , quām aliquem Atheum , vel qui fingit se suscipere , & defendere Atheorum partes , principia quidem omnium moralium virtutum quærere , primam vero omnium virtutum , cultum nempe Dei , è virtutum numero eradere & excludere ? quasi cognitio & cultus Dei , non sit prima & vera virtus omnino moralis , omnino naturæ contentanea , omnino naturalis . Quid enim prius homo ratione prædictus , multò magis sapiens Philosophus cogitet , quām ut causam , à qua sit , causam , à qua mundus factus est , cognoscat , agnitaque facile necessaria hāc causā , nempe Deo , eum reverentur & colat ? Athei jam , cum Deum se Auctorem mundi ignorare affectent , nonne hanc primam summamque omnium virtutum moralium & naturalium , religiosum nempe cultum Dei Creatoris , perinde ignorant?

Quanti

Quanti ergo æstimanda est hæc Atheorum curiositas & diligentia in detegendis primis naturalium virtutum principiis ? quarum primam , maxime necessariam , & naturæ convenientissimam impie negent ? Sed pergamus.

Duo itaque duntaxat *Baile* designat principia in homine naturalia , omnium moralium bonarum actionum , & cunctarum virtutum ; sine quibus duobus principiis, seu causis primis nullam habemus virtutem ; cum his autem duobus principiis omnes homines , etiam Athei , virtutem criminis præferent , virtutem consecabantur , revelatione , Decalogo ac Evangelio , semotis.

Unum ejusmodi principium virtutis in nobis est , *Sentimentum moral* , instinctus, seu, ut vocant , sensus in nobis moralis : qui sensus internus instinctusque naturæ, est id , quod nos facit bonum malo præferre , licetum illico. Cuivis homini hic sensus innatus intimusque est.

Alterum moralium in nobis actionum principium est , *evidentia* , seu clara , evidens , intima , & absoluta diversitas rerum inter se à nobis cognita ; uti evidenter & intime à nobis cognoscuntur , inter se absolute esse diversa , veritas à mendacio , liberalitas ab avaritia , clementia à sævitia ,  
castitas

castitas à lascivia, moderatio animi ab impatientia &c. Hoc itaque alterum moralis omnis actionis in nobis principium solent isti vocare Philosophi *evidentiam*, ex cognita evidenti diversitate mali à bono ortam.

Hæc igitur gemina principia secundum Baile, ejusque lectatores, determinant omnino hominem ad bonum vel malum. Occasione data e. g. juvandi infelicis hominis, *sensus* in me *moralis*, seu instinctus naturæ, mox sentit, mihiique dicit, quod si bene agere, infelicem nempe, qua possis ratione juvare: quod contrà sit male agere - infelici opem, dum possis, recusare. Sistit enim se mox coram, meoque intellectui se offert, *evidentissima per se diversitas* humitatem inter, commiserationem amoremque hominis mei similis, ac inter inhumanitatem, duriatem cordis, immanitatem, & contemptum talis prorsus, ut sum & ego, hominis. Hic itaque instinctus moralis, seu *sensus intimus*, quod bene id faciam, & hæc *evidentia*, seu clarissime cognita diversitas virtutem inter crimenque, determinant me ad actum virtutis, hoc est ad opitulandum homini infelici: & id satis: jam enim duo hæc principia suum in me produxerunt effectum. Hæc jam ergo duæ sunt omnis boni morumque in nobis primæ causæ, & principia,

cipia , absque alia lege divina , & necessitate revelationis.

At enim principia hæc , instinctum seu *sensum moralem* , & *evidentiam diversitatis* inter bonum & malum , hæc inquam , ut ut sint principia , sola tamen hæc duo principia ad determinandos efficaciter homines ad virtutem , & ut semper *verè* constanterque bene agant , non satis esse assero , ac imprimis id ita confirmo :

Profectò & instinctus seu *sensus moralis* & *evidentia* hæc in genere humano omnino variant. *Instinctus* quidem *moralis naturæ* idem esse deberet in tota humana natura , & in quovis omnino homine ; sed non est idem. Nec perinde in cuiusvis hominis intellectu eadem & *evidentia* est , seu diversitas agnita bonum inter & malum. In natione , quæ Solem , lunam , & alias astra , uti animata , & mente prædita , secundum opinionem , & institutum Platonis , adorat , nihil profecto adorationi huic , & *instinctus moralis* , & *evidentia* , apud gentes , Philosophica hac opinione penitus imbutas , repugnat. In natione , quæ prorsus invalidos ac depontanos senes , ne mala ætatis diutiùs perferant , in fluvios cum sacris ceremoniis dejicit , quæ decrepitos parentes occidi , & carnes eorum manducari , ut hono-

honorificè in visceribus liberorum sepeliantur, commendat aut jubet, evidentissimum erit, quod ibi ista insignis erga senes & parentes caritas pietasque omnino licita, laudabilis, & optima sit. In natione, ubi, ut apud Cotacos, mos omnium enormissimus, ac pudore silendus, perpetuò inolevit; ubi tota gens raptô vivit; in natione, ubi humanis victimis Diis sacrificatur; ubi pueri in altaribus virgîs eò usque cæduntur in honorem Deorum, donec animam efflent; ubi, ex hostium captorum carnibus assis & coctis convivia apparantur; ubi communio uxorum & permutatio, aut polygamia, & aliquid pejus, perpeti permittitur usu; ubi uxorum, ut maritos in rogum sequantur, seque in ignem injiciant, lex viget; ubi infantium, quos alere difficile fit, demergendorum, perpetua consuetudo hucusque obtinet; ubi maritis deformes aut malas uxores, parentibus deformes aut malos filios, dominis servos occidere licet; ubi proximis sæculis, etiam in politioribus, si diis placet, gentibus, strages ingentes edere, & fora urbium in macella hominum tanquam porcorum convertere, fanatico furori licuit, & religioni datum est: ibi tanta hæc sclera, evidentissimè & clarissimè fuerunt & erunt actiones legitimæ, licitæ, &

## 180 §. XI. PRINCIPIA THEISTARUM

laudabiles. Certè ibidem & *instinctus* seu *sensus moralis*, publica evidentiâ convictus, illas minimè condemnabit, imo potius commendabit. Si ergo *instinctus moralis*, & *evidentia* sola essent principia actionum nostrarum, summa & execranda crimina, juxta nationes & populos, in iis saltem, ubi vigent, gentibus, possent esse legitima, & commendabilia: quam impietatem vix & aliquis etiam Theistarum admittet, quamvis qui admittant, & excusent, non desint.

Sola hæc itaque duo, *Sensus moralis* & *evidentia*, non sunt semper talia principia, quæ hominem ad veram virtutem, & ad verè bene agendum determinent. Esse principia non inficior, sed semper, sed ea sola sufficere, majorem in modum nego.

Præterea, ut mihi *Bailium*, seu ejusdem sententiæ quemcunque Philosophum, interrogare liceat, utrum hic *instinctus naturæ* seu *sensus moralis*, utrum hæc *evidentia*, seu clarè agnita diversitas bonum inter & malum, imponant homini *absolutam necessitatem bene agendi*? Nequaquam, respondet: Ita enim homo deberet semper bene agere, ac libertate contrarium agendi privaretur, re autem ipsa sæpius, & sponte, male agit. Interrego iterum, utrum hæc duo dicta principia imponunt homini saltem

tem officium , & aliquam obligationem bene agendi ? Respondet Philosophus : certissime ab his principiis officium bene agendi obligationemque imponi : homo enim virtutem potius , quam crimen amplecti , & per instinctum sensumque naturæ ad bonum tendentis , & per agnitam evidenter inter bonum & malum diversitatem , omnino tenetur , obstringitur , & omnino debet.

Ego tamen adhuc iterum quero ; si est igitur ex sensu naturæ & evidentiâ , impositum homini magnum officium sequendæ omnino virtutis , jani quando homo liberitate sua male usus , contra instinctum & evidentiam peccat , & nequaquam virtutem amplectitur , imo potius vel flagitiosissimam actionem contra virtutem committit , quid illi inde mali eveniet ? Respondet Philosophus : nihil aliud , quam condemnatio à propria conscientia , aculei & morsus ejusdem , quod male egerit ; potest etiam scelus commissum sæpe sequi & pœna publica , uti debet , & infamia apud homines , uti sequi solet.

Ego autem ajo , condemnationem hanc à propria conscientia , ejusque aculeos esse debile nimium , & admodum fragile hominum malorum frænum ; id quod certe probari non indiget , cum præ oculis quotidie

## 182 §. XI. PRINCIPIA THEISTARUM

sint infiniti conselerati homines , qui obtusa , aut contempta conscientiæ suæ voce , contra *sensum naturæ & evidentiam* , enor miter , continuoqe peccent. Infamia jam & pæna potest sæpius sequi , potest sæpius & nulla consequi , dum vel a legibus potentiore scelerato committitur , vel occultum est , uti est sæpissime , crimen. *Officium* ergo ac *obligatio* , imo & *lex* talis , quæ est abs que certissima & incluctabili cujusvis notæ vel ignotæ prævaricationis pæna , nullius vis apud quam plurimos homines , nullius omnino momenti est : id perpetuâ constat omnibus experientiâ , etiam in publicis , sed in latentibus maxime , occultisque , quorum numerus longè est major , peccatis.

Sana itaque ratio mihi , imo & sana Philosophia dictat , humanum genus omnino ac prorsus necessario egere , ut homo ob stringatur incluctabili quodam gravissimoque officio bene agendi , & à malo palam perinde ac clam abstinendi. Hoc autem *officium* esse non potest sine *obligatione* gravi & seria ab aliquo , omnino sub spe præmii , vel pænæ metu , imposita. *Obligatio* vero non potest esse sine *lege* ; *lex* autem statui sine *Legislatore* non potest.

*Infix-*

*Instinctus* seu *sensus* hic *naturæ superiùs dictus*, aut hæc *evidentia* boni & mali, non sunt talis Legislator. Ridiculæ essent leges, tot & tam variæ, quot & quam variæ sunt gentes, imo fere quot sunt hominum *individua*: quæque gentium, & quisque hominum pro suo *instinctu* & *evidentia*, quam se omnino habere crederent, leges statuerent, sibi bene visas ac commodissimas, quæ aliis injuriosæ atque insanæ viderentur.

Alius ergo ad imponendam homini bene agendi gravem & seriam *obligationem*, quam prævaricari nefas sit, oportet ut sit oecumenicus pro tota natura Legislator, & hic Legislator alias esse nequit, quam ipse Deus, uti Dominus hominis liberi, rei tamen à se creatæ. Homo autem liber & ratione prædictus in omni gente, quem timere, cui obedire omnino debeat, quam suo Conditori? Conditor autem hic humani generis, quæ ejusdem Creator, à sua sapientia, bonitate, & providentia determinari potest, imo non determinari nequit, ut suam voluntatem legemque hominibus à se creatis palam faciat & revelet. Secus lex à nemine promulgata non obligat. Deus itaque legem sancit, & dictat, *declina à malo*, & *fac bonum*, ac statim assignat mercedem & pænam, tanu temporales, ut ipsi libet, quam

æternas, idque pro sua sapientia, bonitate, providentia, potentia, & justitia facit. Lex ergo solius Dei promulgata imponit ineluctabile officium & obligationem homini, quamvis libero, sed qui Deo est undequaque subditus, jam præmis, jam pænis certis eidem propositis. Divina ergo lex jubet & obligat, præmia æterna alliciunt & ad virtutem pertrahunt, pænae à culpa absterrent.

Apud Christianos itaque Philosophes melius veriusque detegitur prima causa, seu primum principium moralium hominis actionum, omniumque Christianarum virtutum, scilicet, *Legislatoris Dei voluntas, & gratia*, sine qua nihil possumus: *voluntas* quam nobis primò per revelationem & Verbum divinum, seu legem suam divinam denuntiat, suo & Catholicæ Ecclesiæ ore; *secundò* per instinctum naturæ seu sensum moralē qui tendit semper ad bonum malo præferendum; *tertiò* per lumen rationis, seu istam evidenter à nobis agnitam diversitatem bonum inter malumque morale.

Non negamus itaque & *sensum moralē* & *evidētiām*, esse causas & quædam virtutis principia; at nos Christiani justissimis, verissimis, nobisque salutaribus rationibus, (quidquid contra eas Theistæ sentiant) permoti, adducimur, ut & hunc *sensum*

*sum ipsum in nobis moralem, & cognitionem evidentem boni & mali , altiori , primo , veroque subjiciamus principio, nempe voluntati , seu legi gratia&que divinæ.*

Quamobrem ita ? primò virtutes namque duntaxat ex *sensu in nobis morali* , & ex *evidentia boni* ortæ , non ex vi divinæ legis , erunt morales , humanæ prorsus , & purè naturales virtutes , quales etiam Ethnici nunquam denegari posse toties observavimus : sed non erunt virtutes , quæ nobis aliquid ad promerendam vitam æternam contribuant. Si non est *lex & gratia Dei* verum earum principium , si virtutes & bonæ actiones non ex mera obedientia divinæ legi , & voluntati debita profiscuntur , nulla eorum , præsertim æterna , à Deo merces præstolanda est.

Secundo , *instinctus natureæ seu sensus moralis* , & *evidenter cognita diversitas inter bonum & malum* , ut jam diximus , non deberent errare unquam , non deberent uspiam in toto genere humano variare & mutantur: sed quantum in diversis nationibus , populis , & ætatibus errant , variant , & mutantur! Est natio , in qua laudabile est seipsum occidere : est natio , quæ pro tempore longioris itineris , locat , conductitque uxores ; sunt societates hominum , quibus ,

M 5

quid-

quidquid detestabilius in natura est, committere, nulli podoī, nulli culpæ est; sive gentes adhuc, ut jam id & supra innuimus, quæ ne numerus prolium augeatur, eas occidi omnino permittunt, ut ea cætera, quæ superius protulimus, & innumera id genus omissamus: Nec *sensus moralis* nec *evidentia* mali aut boni, se se tam enormibus ibidem opponunt flagitiis; præjudiciis, opinioribus, consuetudine, bina hæc virtutis principia sunt obruta, sunt mutata in alia. Pessimè agunt homines, & *sensus moralis*, & *evidentia* silent. Si *lex Dei* ad hos populos pervenit, si ab eis suscipitur, licita, quæ iis videbantur, esse omnino illicita mox eis parebunt.

Christiani ergo qui mandata divina, seu legem Dei, interpretem voluntatis divinæ pro principio & regula bonarum actionum virtutisque ponunt, variare & errare hanc sequentes non possunt. Scelera apud Christianos erunt semper eadem scelera, nam lex Dei immutabilis ea prohibet: virtutes veræ, semper erunt apud Christianos veræ eadem virtutes, nam lex Dei eas præcipit, & præscribit. *Sensus moralis* semper apud Christianos tendet ad verum bonum, nam legem Dei semper sequetur, non opiniones Philosophorum, non præjudicia populi, non

con-

consuetudines nationum. *Evidentissima cognitio veri boni & mali nunquam deseret Christianos*, nam eorum lumen & fax, semper erit lex Dei : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.*

Conentur Philosophi e. g. ut id faciunt, impiis scriptis & sermonibus scrupulum omnem tollere prævaricatoribus Præcepti Sexti, adulteria tamen & fornicationes semper erunt apud Christianos flagitia, quia lex Dei ea prohibet. Philosophis quidem istis & *sensus* Eorum *moralis*, & *Evidentia*, aliud fortasse dictant, quam vetet hoc Præceptum Divinum ; Christianis & *sensus moralis* & *Evidentia*, nihil aliud dictant, quam quod imperent aut vetent & hoc & alia Præcepta Divina. Ipsa ergo ratio sana ultrò suadet, quatenus noster *sensus moralis*, & *evidens cognitio boni & mali* in nobis nunquam errent, nunquam varient, nunquam mutentur, ut omnino pro principio, amissi & regula actionum, pro prima omnis virtutis causa *voluntatem* seu legem Dei agnoscamus : nec aliter homines rationabiles, & qui benè cogitent posse nobis cogitare videntur.

*3tio* Theistis quidem id nemo persuaserit, ut voluntatem & legem Dei in utroque Testamento hominibus traditam, pro vero

vero & necessario principio bonarum actionum virtutisque agnoscant, qui legem & verbum Dcī prorsus rejiciunt; sed neque hæc nos iis loquimur. Quæ ut Christiani Catholici dicimus, nostrorum non eorum gratia dicimus. Nescio tamen an & Theistæ ipſi hac in re nobiscum non convenient, nempe (sine altiore à voluntate & lege Dei proficidente virtutis principio) quod hæc sola duo actionum nostrarum principia, *sensus moralis*, & *evidens* boni à malo diversitas, nequaquam possint esse efficacia ad continendos in officio & virtute, ad arcendos à flagitiis homines. Ferri enim toto sensu morali in bonum, cognoscere evidenter bonum & virtutem, non continuo hæc duo me bonum facient, non continuo voluntatem meam à malo & crimine avocabunt. Non frustra plangebat Paulus: *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati.* Si hæc in Paulo, multo jam minus & hic naturalis ad bonum instans, & hæc maxima boni aut mali Evidentia, in homine malo, injusto, superbo, avaro, crudeli, mendaci, fure, rapto, calumniatore, libidinoso & lascivo, boni aliquid hæc duo sola producent principia; admittet flagitia omnia instinctu &

Evi-

0127

Evidentiâ contemptis , si non Deum sapientem , providum et justum Legislatorem , in remunerando infinitè liberali , in puniendo severum Judicem & ultorem , si non certam & indubiam sceleris formidet pannam . Mores noti nonnullorum Philosophorum in omni conditione , id mirifice probant.

Adeoque & ista Atheorum Respublica , quam Bailius format , totamque virtutem à solo *sensu morali* & *Evidentia boni* vel *mali* in Atheos derivat , ista inquam Respublica ex solis Atheis , qui Deum Legislatorem & Dei legem rejiciunt , conflata , quomodo felix & fortunata esse posset ? quo enim frænô longè plures malos , imo etiam pessimos naturâ homines coerceret ? occultis vero flagitiis , quæ tandem in perniciem Reipublicæ semper erumpere solent , libidinibus , incæstibus , adulteriis , avaritiae , furtais , rapinis , fraudibus , mendaciis , calumniis , perjuriis , conspirationibus , proditionibus , clandestinis venenis & latrociniis , quem obicem suo sensu morali & Evidentia tam fortem poneret ? an forte virgas , flagra , gladios , patibula , rogos , coercendis malis satis esse putaret ? quæ continua supplicia , plenam potius Rempublicam hominibus sceleratis ostenderent , quam eandem emen-

190 §. XI. PRINCIPIA THEISTARUM

emendarent. Paucis ut dicam, effrenibus & indomitis hominum passionibus, quarum immoderata vis & impetus omnium in genere humano sunt causa malorum, ambitioni, lasciviis, avaritiæ, iræ, quas habent hæc Respublica injiceret? quod repagulum objiceret? sine Dei impressa in animis lege, sine futuri post mortem spe, sine certo metu Dei Judicis, pænæque Divinæ.

Respondent tamen adhuc isti: cum hominem suæ *passiones* etiam vehementiores ad malum abripiunt, metu hic pænarum æternarum minime opus est: nam dum homo animum ad id reflectat, quod agere intendit, certè contra perfectam *Evidentiam* boni & mali cogniti, cupiditates, passiones & affectiones hominis parum aut nihil posse, frustra ei resistere, frustra Evidentiæ obniti, Philosophi Theistæ contendunt: *Evidentiam* semper è passionibus triumphum relaturam. Evidenti bono morali, nunquam ratio nec voluntas præferet evidens malum morale. Ita ludunt Theistæ. Sed oblitine sunt isti veteris illius tristæ tristisque querelæ, *video meliora proboque, deteriora sequor?*

Nero à Seneca & honestissimo mortaliū Burrho educatus, qui sanguinis horrore multam capit quantumvis rei, gemens subscri-

Subscribere erat solitus, an fortasse perquam evidenter non cognovit, clementiam & honestatem Principis pulcherrimas & necessarias sibi esse virtutes? innocentis vero effusionem sanguinis scelus esse humanitati omni & naturae contrarium? at quis Nerone plures, quis atrociores deinceps commisit cædes & latrocinia? In Amano, cupiditatem, quæ arsit vindictæ, an refrænavit Evidentia portentosi sceleris, quo Tirannus hic totam innocentem Gentem ad excidium & interacionem destinavit? Sæva ejus passio superbiæ ac barbaræ ultionis & iræ, an evidentiæ summi flagitii cessit? Nobis Christianis (negent ut velint Theistæ) indubitate è Sacro Textu constat, resuscitatum à Christo è mortuis Lazarum, Pontifices quæsisse, & decrevisse occidere; quid illis evidenter fuisse potuit, quam hominem hunc in oculis plurimorum testium ad vitam à Christo revocatum esse? Evidentia hæc stititne, extinxitne malignitatem furiosorum?

Sed quid hæc pluribus? an tot Iudicibus justitia vel injustitia causæ evidenter non est? tamen sæpe eorum Decretis quid injustius? an tot sceleratissimi homines apertissime & evidenter conscientiâ convicti non fuerunt, sc Patriam prodere & perdere?

dere? prodiderunt tamen, perdiderunt. An tot sine numero furta, libidines, latrocinia, perjuria, & summa id genus flagitia mali non perpetrant, quorum passiones ab iis sensus naturæ & evidētia sceleris ac indubitate cognitio boni & mali tota vi avocabant?

Concludamus jam, quod si ad evitandum malum, ad faciendum bonum, malis hominibus & ipsa Lex ac voluntas Dei revelantis, & instinctus, & Evidētia, sēpe non sufficiunt, nec semper passiones refrānant nostras, multō minus iis continendis solus sensus moralis & Evidētia sufficient. Dei hīc non tantum voluntate & Lege, sed etiam Dei manu ope & gratiā opus est, sine qua boni nihil homo faciet, ut Relatio nos docet, *sine me nihil potestis facere.* Item illud Pauli: *non sumus sufficiētētes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficiētia nostra ex Deo est.*

Quid jam hērendum mihi est, inter cujuscunque Athei sive Theistæ dogma, statuens duo sola virtutis principia, & inter Divinam Auctoris Religionis meæ doctrinam? inter Bailium, & inter Petrum Apostolum totamque Ecclesiam, docentem à voluntate Divina omnia bona opera, omnes etiam politicas manare virtutes & sic est voluntas

Juntas Dei , ut bene facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam , omnes honorate , fratres diligite , Deum timete , Regem honorificate , servi subditi estote Dominis etiam discolis. Et ecce voluntatem Dei manifestum harum & omnium verarum virtutum principium , sic est voluntas Dei. Sine hoc principio , cum toto sensu morali & evidentia (\*) nec Bæliana , N quam

## N O T A.

(\*) Quam debilia sunt hac sola virtutis principia : sensus moralis & evidentia , ostendimus supra e sceleribus inductis in mores apud quasdam gentes , ut mergendorum infantium & similibus ; Theistæ respondent , non sequi inde hac duo , bonorum morum & actionum sufficientia non esse principia : dummodo enim educantur ex errore gentes , & veritate collustrentur , certe errore sublato , & vero stabilito , aliud mox illis gentibus sensus moralis & evidentia dictabunt. Quid facilius autem quam v. g. crimen demergendorum infantium , humanitati omnino contrarium , noxiuum , turpe & infame esse , barbaris demon-

194 §. XI. PRINCIPIA THEISTARUM

quam ex Atheis conflat, nec ulla, aut bene regetur, aut erit felix Respublica.

Ex his jam liqueat, quam vanæ ineptæque sint, ut SS. Patres nos continuo monent istorum Philosophornm contemplationes & præceptiones virtutis, non est in ore

---

monstrarē? illico ex errore educiti, ipsi met morem barbarum condemnabunt: & tum sensus moralis & evidētia crimen ita occidendarum prolium gentibus omnino dissuadebunt, ejusque horrorem injicient.  
Idem de ceteris.

Sed jam esto ita, ut sensus moralis & evidētia possint mutari in melius, in ea gente, quæ è suo veteri errore educitur. At manifestum est, & hunc sensum moralem & hanc evidētiam, dum errore sublato possunt mutari in melius, posse eadem principia & in pejus mutari, dum alius atque alius error & opinio gentem eandem pervaserit, & occuparit. Ita semper hæc duo, quæ vocant principia, erunt juxta opiniones gentium mutabilia: semper incerta: opiniones autem gentium utrum semper & bona, & eadem futurae sint, quis hæc de re nos certos reddet?

Edn-

*ore eorum veritas, cor eorum vanum est: quamque revelatio & lex Divina procul omni comparatione, efficacius sit omnium bonarum actionum, veraeque virtutis principium.*

N 2

§. XII.

*Educenda sunt itaque prius ex suis priscis & inveteratis erroribus gentes: sed quis ille est, qui illas ex errore earum educet liberabitque? An Philosophi Theista vel Athaei? at isti certissimè primo & maximo omnium, codemque enorissimo ac absurdissimo errore, (fonte aliorum omnium,) è quo ipsimet educendi sunt, gentes minime edacent, minime liberabunt: nempe ex ignorantia Veri Dei, ex ignorantia immortalis anima, Athaei & Theista gentes non eripient. Nam cum isti ipsi Philosophi religionis hostes, Deum creatorum è nibili, legislatorem, remuneratorem, judicem, ultorem scelerum, animam aeternum vitturam, minime nōrint & omnino ignorent, ac ignorare velint, quoniam modo gentes ex hac perquam criminosa ignorantia edacent? Relinquendo jam gentes & nationes in hac ignoratione veri Dei,*

as

## §. XII.

*Continuatio Principiorum.*

**P**rincipium quartum: illi neque Deum; neque animæ salutem pro ultimo homini scopo præfigunt, sed nonnulli, quemadmodum

---

ac vita futura, ridicula & ridenda omnino est ista philosophica illustratio & conversio gentium, ac gentilium errorum evversio. Hi eorum aliqui errores fortasse tollentur per Philosophos, sed ex ignoratione veri Dei & animæ, mille alii etiam absurdiores pullulabunt, ut seditiones contra legitimas potestates, odia mortalia, cædes mutuae, bella injustissima, rapinae, vindictæ implacabiles, adulteria, incestus, impietas omnis erunt licita, quæ tot philosophi licere jam docent, ut superius vidimus, & infra videbimus. Sensus moralis & evidentia his etiam assuefiant, uti sunt priscis assuefacta erroribus.

Non horū itaque Philosophorū hoc opus est, nec usquam erit, gentes ex erroribus inveteratis educere, quas novis & aequo noxiis aut etiam pejoribus inficiant isti: sed

dum supra meminimus, finem ultimum hominis, arbitrantur collectionem bonorum corporis, animi & fortunæ cum virtute conjunctam, plerique in sola virtute finem ultimum & summam humanæ felicitatis ponunt: nostri contrà, temporalia bona mox desitura, ut vilissimum homineque indignum finem statuunt. Neque virtuti tantum tribuunt, ut ea noster sit ultimus finis, sed tanquam medium quoddam ad finem ultimum, id est Deum, & sempiternam salutem consequendam. Optime concipimus Christiani mentem Pauli: *si in hac vita tantum speremus*

N 3

*sed opus hoc Dei ipsius, legis Divine. & Evangelii proprium omnino est. Voluntas & lex Divina prædicata & cognita gentibus, extirpabit errores, & erit una certissima constans & immutabilis bonorum morum regula. Dum hac & sensum moralem & evidentiam diriget, tum primum fædi gentium cessabunt errores. Irreligio semper facundissima parens erit pessimorum & errorum & morum. Instinctus moralis & evidentia, nisi à religione & lege Dei illuminentur, semper erunt caca errorum & opinionum mancipia.*

*speremus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Id est, quod nemo nobis Christianis esset in orbe terrarum infelior ac miserior, si tantum modo in praesenti vita totum laborum & virtutis premium collocaremus, & in futura, nihil amplius à Deo nobis sperare liceret. Christianus virtuti non virtutem ipsam, sed virtuti Deum, pro mercede, & vitam æternam proponit. Virtutem itaque, ut semen beatitudinis futuræ, non ut hominis beatitudinem, Christiani respicimus. Cum virtute vivendi, Deus est nobis scopus, cælum terminus. *Quis jam finis hominis ultimus, ad evitanda peccata, ad virtutis, ad bonorum operum morumque studium efficacior?*

*Principium quintum:* Illorum quidam ob certas duntaxat aut suæ tranquillitatis aut politicas rationes, ita quidem non sine aliqua observantia Christum commemorant, ut facile è frigidis coætisque eorum verbis, ac à mente diffonis, intelligi possit, quam impie de Divina ejus Persona & miraculis sentiant? quamque sint hypocritæ, quorum cor à Christo alienissimum sit, imo illi inimicissimum. Alii istorum audaciores etiam, jam Arianorum & Socinianorum more, jam vel ipsis Ethnicis & Judæis deterius de Christo sua palam judicia produnt.

Quo

Quo loco occurunt menti ad arguendam horum Christianorum impietatem , & mirificum Judæi cuiuspiam de Christo testimonium , quod quidem sæpius jam in angustias istos conjecit Philosophos , & Ethnici Philosophi , & Mahometis ipsius præclara de Christo testimonia. Ignoscet , qui hæc legit , huic brevi digressioni ; adolescentum duntaxat causâ , qui forte res tam singulares ignorant , adhibitæ.

Constans igitur ad extremum vitæ Judæus , Josephus , familiaris Imperatoribus Vespasiano , Tito , & Domitiano , nihilominus ita honorifice de Christo in sua inquit Historia : Cap: 4. Lib: 18. *Iudicij Anti-*  
*quit : Fuit autem hoc tempore Jesus Vir*  
*sapiens. Si tamen Virum illum oportet di-*  
*cere. Erat enim mirabilium operum Effe-*  
*ctor , Magister hominum , qui vera liben-*  
*ter amplectuntur , & plurimos quidem ex*  
*Iudeis , plurimos etiam ex Gentibus ad se*  
*pertraxit. Hic erat Christus : cumque eum*  
*à Primoribus Gentis sue accusatum Pilatus*  
*ad crucem damnasset , ab eo diligendo non*  
*abstinuerunt , qui primum cæperunt. Nam*  
*post tertium diem redivivus ipse apparnit*  
*cum Divini Vates hæc , aliaque quam plu-*  
*rima admiranda de eo prædixissent. Neque*  
*ad hanc diem deficit denominatum ab ea*

*Christianorum Genus.* Nunquam vero hunc Judæum Religionem Christianam fuisse amplexum , ejusque genuinum hunc esse Textum, post alios clarissimos Auctores , contra Volterium egregiè demonstravit hujus ævi insignis Philosophus Ivo Tom. 1. Capite 3. abbreviatæ Historiæ Eccl.

Non Religione igitur ulla , sed quadam politica ratione impulsus Domitianus Tyranni , ut dixi , familiaris Hebræus , id ita honorifice de Christo scripsisse videtur : cum enim Domitianus descendentes à Davide Judæos internecione delere statuisset , quod & alii ante eum Imperatores jam cæperant , ne Rex promissus à Vatibus , qui Romano Imperio cladem afferret , ex hac stirpe nasceretur ; Josephus excidii hujus avertendi causa , amore suæ Gentis , maluit Domitiano in Historia sua suggerere , jam hunc promissum è stirpe Davidica Virum Divinum , natum , invidiâque primorum Gentis occisum pridem fuisse , neminemque alium à Judæis expectari , qui esset Romano Imperio metuendus.

Quidquid jam sit : hoc celebre Josephi veri Judæi de Christo elogium , sequatur & aliud simile infestissimi Christianorum hostis Porphyrii Philosophi , magni habiti à Juliano Apostata. Is ita de Christo : *Fuit  
tale*

tale Oraculum, quo Christus appellatus est Homo probus & immortalitate dignus, quamquam Christiani impuri, deceptique sint. Dea nempe Hecate istud de Christo Oraculum edidit: Fuisse illum hominem pietate clarum, cuius corpus tametsi crudelibus cedere debuit suppliciis, anima tamen illius est cum beatiss in Cælo Spiritibus. Hæc anima (Hecate inquit) nescio quo fatò inspiravit, errorem Animabus, quibus cognoscere summum Iovem, non est datum ratumque à Fatis. Hinc Christiani sunt acerrimi Deorum hostes. Sed cævete ne Christum vituperetis: dolete super his potius, quorum vobis fata infâusta occinxi. Vide Abbreviat: Histor: Eccl: Iovinis Tom 11. p. 732.

Arridet laus hæc ex ore hostili non denegata Christo, quamvis minus humana ratione dignis permixta fabulis. Hoc quidem certum est, hunc quamquam Christianis inimicissimum Philosophum qui quarto sæculo vixit, non potuisse aliter de Christo dicere, quam cum quadam reverentia, & perhonifico testimonio ejus virtutum & immortalis gloriae: Siquidem inter ipsos quoque Gentiles primis illis Ecclesiæ sæculis, communis eaque constantissima de Christi sanctitate, pervulgata erat existimatio.

Judæo & Ethnico, adjungamus acerri-  
mum Christi Dei hostem, Ariana certè ini-  
pietate à Monachis Arabibus imbutum,  
Mahometem, tantæ Sectæ Fundatorem va-  
ferrimum, qui nihilominus, ne undequa-  
que Christianorum animos à se alienaret,  
odiosumque se illis redderet, quanta semper  
cum reverentia, & laudibus in vicenis am-  
plius sui Alcorani, è quibus, quæ sequun-  
tur, excerptimus, locis, Christum com-  
memorat & concelebrat? o Maria, inquit  
certè Deus elegit te, fecit te puram, Viri  
nesciam, elegit te siper mulieres omnium  
mundorum, omnium sæculorum. Deus anun-  
tiat tibi Verbum ex se, nomen ejus erit  
Jesus, Filius Mariae conspicuus in hoc mun-  
do & in futuro sæculo, positus in signum o-  
mnipotentiæ, in miraculum hominibus & in  
misericordiam. Dedit illi Deus sapientiam  
& Evangelium, & misit eum verè lega-  
tum suum ad Filios Israël, Ducem & Prä-  
ceptorem Gentium. Venit ad confirmandum  
vetus Testamentum. Dedit illi Deus vim  
miraculorum & roboravit eum spiritu San-  
ctitatis, curavit cacos, leprosos, vivifica-  
vit mortuos. Deus eum ad se in Calum  
rapuit & elevavit. Adventus ejus futurus  
in mundum, erit supremum signum extremæ  
Iudicij. Hæc & similia passim Mahomedes.

Insuper

204 §. XII. PRINCIPIA THEISTARUM

veri honesti homines, Auctorem nostræ Religionis Deum humanæ naturæ unitum agnoscentes, nedum Divinas ejus leges & præcepta, sed æquè illius Sacra menta & Mysteria in Evangelio proposita ab Apostolis divulgata & asserta, ab Ecclesia constanter tradita, uti revelatam veritatem à Deo, prono animô suscipiunt, eisque ita firmiter adhærent, ut pro iis defendendis vitam & sanguinem profundere sint parati. Actus autem omnes seu Ritus externos Ecclesiæ, ac imprimis Sacrificium illud præstantissimum, nostræque Religioni proprium, respiciunt tanquam cultum supremo suo & rerum Conditori ac Domino à præditis ratione hominibus jure maximo debitum.

Quis & hic dubitet, Mysteria salutis nostræ, Sacra menta, Ritusque Ecclesiæ, continuo ad summam in Deum Religionem & pietatem homines excitare? Mysteriorum fidem & Sacra menta in mores Christianorum influere? contemptis Mysteriis & Sacramentis, inter Ethnicorum ac infidelium nostramque disciplinam & mores nullum fore discrimen.

*Principium sextum disciplinæ honestorum hominum. Tanto illi Administrös rerum Sacrarum & Ecclesiæ Magistratus, qui rationibus vere ad animam & conscientiam pertinet*

*pertinentibus præsent , odio præsequuntur ,  
gauderent ut plurimum , si quoquomodo ē  
medio hominum tollere eos illis liceret.*

Injurias & damna Hominibus Ecclesiasticis illata , nihil ducunt , aut etiam virtutis & justitiae loco reputant . Id sane non mirum : neque enim unquam amica potest esse Theistis conditio , & Status Sacerdotum , in his enim illi , qui omnia ad Religionis ruinam moliri non desinunt , non parum obstaculi situm esse , animadvertisunt .

Philosophi contra Christiani ratione ac Religione his de rebus sunt planè convicti : imprimis Deo publicum necessariò deberi cultum , Mysteria ac dogmata Religionis , quæ ad vitam futuram spectent , a Deo revelata esse . Harum uti sanctissimi cujusdam depositi Sacerdotes pro officio primos esse custodes : Nōrunt item probè , quod cum homo constet natura duplice , corpore nimirum & spiritu , duplicita quoque dari bona , temporalia corporis , æterna animi , proinde alio Magistratu opus esse , ad quem bonorum ad corpus pertinentium procuratio , præsidium & tutela spectet , atque id officii mundani Magistratus obeunt : aliz procuratione indigere propria bona animæ , quorum cura & administratio concredita est Sacerdotali ordini , bonorum inquam longe

præ-

præstantiorum fluxis vitæ hujus bonis. Intelligunt itaque Christiani Philosophi inde consequi , istud hominum genus à Deo cùm ad peculiarem sui cultum , tūm ad regendas hominum animas conscientiasque adlectum , & coli à Populo , & integra illi sua jura servari oportere.

Cum itaque in quovis Imperio & Republica duplex hæc Sacerdotalis & mundana conspiciatur Potestas , utriusque igitur suus honos & obedientia suo jure debetur. Neutraliter alteri fraudi damnoque esse debere , sed concordiam & fædus quoddam perpetuum ac intactum inter Imperium & Sacerdotium sacrosanctè servandum esse.

Tam sacrum ordinem statui sacerulari & Principi , quam Principem & statum sacerularem sacris Magistratibus statutis Ecclesiastici obnoxios esse : nec unum alteri se posse opponere in rebus ad alterutrius jurisdictionem spectantibus: imo status Ecclesiasticus , respectu rerum seu rationum temporaliū subjectus obediensque esse debet Patriæ legibus , dominantique Principi , ut vicissim Princeps dominans , cives & incolæ Regni , respectu rerum seu negotiorum spiritualium & pertinentium ad salutem animæ , ad cultum Divinum , ad ordinandas res

Reli-

Religionis & Ecclesiæ, debent esse obedientes & subjecti superioribus Ecclesiasticis.

Sacerdotibus itaque jure suo, honore debito, reverentia & obedientia in rebus conscientiæ ut par est servatis, quid ad probos Principum & Populorum mores? ad cautam vivendi regulam magis ac efficiacius prodesse ac opitulari possit? nemo non videt. Contempta vero sacerdotii custodiâ, quæ Religio? quæ disciplina? qui mores, quæ vitiorum clam, flagitiorum palam censura ac repagulum?

*Principium Theistarum septimum.* Philosophi ( de qualibus in præsenti agimus ) id præcipuum solenneque habent, eoque tanquam lido lapide libri eorum morales cumprimis dignoscuntur, quod in iis maximopere exagerent, illos solos Deum, ut decet, cognoscere, hoc est, illos solos bonitatem ejus, clementiam, munificentiam, commiserationem, amorem ejus erga homines paternum debitè prædicare & celebrare, ( ac si nos Christiani idem ipsum libentissime non faceremus ) affirmentque, quod hoc sit revera Deum cognoscere, bonum undequaque Deum confiteri, sed non oportere, illum ut terribilem Legislatorem, severissimum Iudicem & vindicem tyrannumque nobis effingamus: id enim esse omnino contra Divinas

vinæ Bonitatis naturam. Magnopere illi  
hac in parte Dei causam sibi defendendam  
suscipiunt , quod videlicet Deus *omnibus*  
*bene* , *nulli male queat facere* : hujus do-  
gmati pleni sunt Theistarum libri omnes ,  
& recentior illorum Belisarius. Trahunt  
doctrinæ hujus originem à priscis Philosophis  
Ethnicis : *Ira Deorum nulla est un-  
guam: nec irasci Deum, nec nocere.* Dant-  
que hujus rei causam , quod ira sit com-  
motio humani animi , ejusque passio , quæ  
cum commovet , permutat , & præterit: qua-  
les animi motus Deo convenire non possunt.  
Qui autem sine ira & severitate ( inquiunt )  
Deus possit esse trux quidem Legislator, Ju-  
dex , ulti & punitor ? Ajunt item cum  
Seneca : *Dii nec facere injuriam queunt,  
nec accipere.*

Respondit pridem his Philosophis longè  
sapientior illis & longe antiquissimus Theo-  
logus *Ecclesiasticus* : *ne dicas: miseratio Do-  
mini magna est , multitudinem peccatorum  
meorum miserebitur: misericordia enim &  
ira ab illo proximant , & in peccatores re-  
spicit illius ira.* Id est æquè sunt Deo pro-  
ximæ , nam illi sunt intimæ & ira & mi-  
sericordia: misericordia inquam in depre-  
cantes : ira in contumaces peccatores. Re-  
spondit ijsdem & doctissimus Lactantius o-  
pere

pere : *de ira Dei*. Nos enim Christiani iis respondemus : iram in Deo non esse ut in hominibus affectum animi subitum & concitatum , qui Deum commoveat , & prætereat : sed quemadmodum una ex parte , ejus amor , & misericordia erga creatos à se homines , qui eum ut par est Creatorem agnoscunt , ita parte ex altera ejus justitia , severitas & ira contra malos Creatorique perduelles , sunt , ut vocamus Attributa & inseparabiles proprietates Divinæ naturæ , quæ Deum in semet minime mutant , eodemque penitus modo sunt ejus attributa , uti & ejus sapientia , omnipotentia , bonitas. Imo si oporteret Deum carere ira & ultione ideo , quod ira & ultio hominem commoveat & perturbet , ob hanc ipsam rationem Deus deberet carere & misericordia & amore erga homines , quandoquidem & commiserationis & amoris affectus excitant , commovent , mutantque humanum animum.

Meliore , ut dicere solemus fide , aut saltem meliore Logica usi sunt aliqui Philosophi veteres , qui affirmabant , quod Deus neque ullum oblectamentum capiat ex hominibus , neque rebus eorum lætetur , neque ira contra eos incendatur : *ab omnibus passionibus animi liber* , *ut nec dolere unquam possit* , *nec aliquando letari*. Apulejus. Cer-

O

tum

210. §. XII. PRINCIPIA THEISTARUM

tum enim est, quod qui odisse non potest,  
& amare nequit.

Minoribus & inferioribus Diis prisci Philosophi concedebant affectus amoris & iræ in homines, de iis fatebantur : *quod iræ incitantur, misericordia fletuntur, donis invitantur, precibus leniuntur, contumeliis exasperantur, honoribus mulcentur & ad similem nobis modum variantur.* Apulejus. Supremum autem Deorum carere his omnibus affirmabant, seu quod idem est, supremum Deum solum nec amare homines, nec etiam posse illis irasci.

Nos Christiani Catholici Deum unum colimus, nullos alios minores habemus Deos: respectu enim seu comparatione ad Deum, Divi sanctique ( quantumcunque eis debitam venerationem cultumque exhibeamus legitimum, tanquam Personis excellenti virtute praeditis, Deoque caris, & nostris apud Dei majestatem patronis ) sunt opinione nostra tam viles uti & nos exiguique vermiculi, comparati inquam Deo sunt talis ut & nos cinis & pulvis. Sed nostra nos docet Religio æquè de infinito hujus summi Dei erga homines amore, ac de ejus in illorum Religiosis precibus ac virtutibus oblectamento, æquè & simul de terribili Dei contra Praceptorum ejus prævaricatores ira,

ac

ac inevitabili sive temporali sive æterna in  
impios ultione Divina. Sacra Scriptura his  
vocibus plena est, *ira*, *indignatio*, *furor*  
*Domini*, *windicta*, *ignis incensus est in fu-*  
*rore meo*. Signa hæc vocum non significant  
in Deo mutabilem ac prætereuntem com-  
motionem bilis seu *choleræ*, sed explicant  
humano quidem modo infinitam ejus sancti-  
tatem, infinitam justitiam, ob quam peccata  
& scelera ulla ratione pati nec potest nec  
vult; id tamen ullo modo, nec vel mini-  
me Dei in se ipso tranquillitatem pertur-  
bat. Possimus id, ut humano more faci-  
mus, è quibusdam similitudinibus facile  
intelligere: parentis qui pænam dilectæ etiam  
proli infligi jubet, culpisque ejus paternæ  
frascitur, potest quieta omnino planeque  
pacata id mente facere. Judex flagitosum  
hominem suppliciis & morte mulcat, nihil  
tamen inde commovetur, nihil ejus incendit  
animum, est undeaque tranquillus: vel  
in obnoxiiis ergo continuo pectoris animorum  
que motui mortalibus, hæc potest observari  
pax animi & perfectio, cur non in Deo in-  
finito omnium perfectionum fonte, ut justus  
severusque esse possit, ut impios juste pu-  
niat, sed absque ulla passione & motu.  
Offendit Deum, (nam & hoc simili uti no-  
bis fas est) legum ejus prævaricatio quem-

O 2 admodum

admodum offendit Regem legum Regiarum contemptus. Quó sublimior est offensi majestas, quoque vilior qui offendit, eō major mājestatis offensa & injuria. Rex hæc inter pacatus tranquillusque folio insidet, leges autem semel ab eo statutæ, ulciscuntur ut par est, puniuntque flagitia.

At enimvero saltem æternitatem illi pñnarum, tanquam paternæ summæque Dei bonitati & clementiæ juxta eos prorsus contrariam, audacter rescindunt, contra expressum supremi nostri Judicis decretum, *ite maledicti in ignem æternum.* Quasi vero ultroneus contemptus & offensio infinitæ mājestatis, non esset infinita offensio, à vilissimo homine rem creatam creatori præferente, Deo facta: quasi itaque iusta omnino non reperiatur proportio inter infinitam Deo illatam injuriam, & infinitam pro ea pñnam. Si tuo *equali*, aut si tuo *Regi*, candem penitus injuriam inferas, an non ratio ipsa suadet, te longè majus mereri supplicium, pro eodem penitus crimine contra Regem commisso, quam si illud contra parem committeres? & non vis ut læsa infinita Dei mājestas rebellem suo supremo Dominio hominem ad proportionem ejus criminis & juxta mensuram infinitæ offensionis puniat? vis ut sit Deus tibi infinite misericordia?

misericors quò audacius pecces , & non vis ut sit infinite justus ? Vanæ itaque futilis que sunt , omnes hæ Philosophorum contra Divinam iram, vindictamque rationes , quibus Deo iustitiam & pænae justæ modum adimere isti satagunt.

Sed enimvero in tali eorum doctrina, Philosophi isti Religionis honestorum hominum , ingens suum emolumentum situm esse existimant , si sibi humanoque generi persuadere possint , *Deum nunquam posse irasci*: ideo enim bonitatem ipsam , caritatem & misericordiam Dei simul quam maxime exaltare , simul iustitiam ac severitatem pænarum tam temporalium quam æternarum in mentibus & memoria hominum obliterare sunt soliti , quò peccare liberius securiusque fas illis sit. Contra apud Christianos Philosophos , non est ille Deus , qui sit tantum misericors , & non sit justus. Istorum est tessera : *sérvite Domino in timore , & exultate ei cum tremore*. Quod jam quæso horum Dogmatum seu Principiorum , ad morum innocentiam aut emendationem efficacius mortales excitet ? Nobis quidem Christianis & calcar ad bona opera non medicriter addunt , & fugam horroremque iniuritatis incutient monentis nos Pauli verba : *Deus reddet unicuique secundum operæ ejus*

214 §. XII. PRINCIPIA THEISTARUM

*ejus in die iræ & justi Iudicij ; iis quidem,  
qui boni operis gloriam & honorem querunt,  
vitam æternam : iis autem , qui non ac-  
quiescent veritati , credunt autem iniiquita-  
ti , ira & indignatio.*

Quo loco fas jam mihi sit , libere id  
quod sentiam , dicere : dum videliter Thei-  
stæ nobis Christianis exprobrare in omnibus  
suis libris sint soliti , quod male de Deo  
sentiamus , quod Deum alium nobis quam  
sit , idest hostem humani generis , crudele-  
que effingamus , quod itaque Deum , illis  
melius notum , nos plane non noscamus .  
Philosophi isti hoc convitio & toties ista  
jacta in nos calumnia , ad verius quiddam  
de iis dicendum nos cogunt & provocant:  
affirmamus itaque provocati , quod potius  
inter eorum plerosque , ac inter Athæos , non  
plurimum sit discriminis ; nempe quod Deum  
quantum homini fas est , & quantum omni-  
no decet & oportet , Theistæ nec nōrint ,  
nec adorent , sed alium quandam , quem  
nos re vera non novimus , illi sibi excogi-  
tant & comminiscuntur Deum.

Illine enim Deum verum nōrint & ado-  
rent , qui otiosum quandam Deum confin-  
ixerint ? cuius nihil res nostræ humanæ in-  
tersint ; qui postquam inferiorem hunc mun-  
dum semel extra se , aut effuderit , aut eje-  
cerit ,

cerit, eum naturæ, aut casui, fortunæque gubernandum reliquerit? qui nulla præcepta humano præscriperit generi, legemque nullam, cum hæc, ut perperam loquuntur & blaterant, à Moysè efficta sit, & simplici Hæbreo populo, nomine duntaxat Divinitatis imposita. Quem porro illi Deum se noscere ac adorare prædicant? qui nec præmia virtuti, nec poenam flagitiis, nec Cœlum, nec in inferis suppicia, hominibus aut promiserit, aut minatus sit, aut debeat, aut sit unquam daturus? Deum proinde: quem si metuas, si sernas, si ames, si oderis, perinde tantundemque tibi est? de quo nihil bene mereri, in quem peccare nihil unquam possis, à quo boni nihil, mali quoque nihil præstolere? Præsenti etenim in vita, natura aut casu verti agique omnia, futuram nullam esse affirmant. Itaque ut hominem & Supremo Arbitro, & Judici vindicique Deo subtrahant, immortalē in nobis animū esse pernegant, multamque Conditori gratiam præstare videntur, si de immortalitate nostra tantum dubitent. Id autem totum, nullo alio fine, nulla causa, præterquam ut brutis, ut obstenis, quas & ipsi veteres gravesque Philosophi detestantur & horrent, voluptatibus & lasciviis, spe omni metuque futuri subla-

to, totos se infrænata quadam libidine; liberiū & impunè tradant. Honesti jam illi sapientesque? imo verò soli illi & honesti & sapientes, sibi esse videntur, qui ita de Deo cogitant, nos illis vulgus sumus, turba, fæx populi, homuncionesque stultissimi, si Deum metuimus, si potundi præcipue bonis æternis, spem nostram in Deo locamus. *Quis* est hic itaque deses, delicatus, piger, omnium quæ fecit, officiique negligens, otiosissimus, ut sit ipse beatus, dulci suo æternum indulgens immersusque sopori, rerum nostrarum & incurius & improvidus, quis inquam iste aut cæcus & hebes Deus, qui nihil, quod agimus, videat, aut nimium Epicureæ tranquillitatis amans, qui ne suam interturbet quietem, nulla gubernationis, eorum quæ fecit, curâ occupare se velit, molestiamque omnem à se hac ratione rejiciat? quasi laborandum sudandumque sit Deo, si sedulo diligenterque mundum, orbemque terrarum, gubernare, homines singulatim inspicere velit, qui mundum, terras & homines uno duntaxat verbo eduxit & excitavit è nihilo. Talem ergo Deum agnoscere, adorare talem, est ne Deum & agnoscere, & adorare? Habeat ille quidem innumerabilia alia & summa, & maxima, quæ in eo *Theiste*  
 con-

concelebrent , sed ego hunc eorum Denūm , quo aliis melior & perfectior esse possit : cui summa quædam desunt , scilicet , & providentia carentem , & neque misericordem , neque justum , nec amo , nec odi , nec laudo , nec vitupero , nec colo , nec despicio , pigritiam tamen incuriamque ejus rideo , tantoque majore cachinno , quod aut illum metuendi , aut aliquid ab eo sperandi causam nullam locumque habeam . Maneat jam ergo ille , quiescat æternūm Cælesti suo obductus sifario *Theistarum* ac Epicureorum Deus : Nobis alias Deus est , Conditor , Legislator , Rex , Imperator , Conservator , Judex , *Agonothetes* , ultor , punitor , omnipotens , sapiens , bonus , justus , misericors , providus , ut principium , ita unus & ultimus nostri omnium finis , qui nec in tempore , nec in æternitate , satis unquam amari , coli , adorarique possit .

*Principium Philosophorum octavum :* omnia , quæ ratio humana capere & comprehendere non possit , superbe rejiciunt , nihilque quod captum hominis excedat , se credere posse profitentur , evidentiam & demonstrationes geometricas in dogmatibus religionis omnino requirunt . Quod nos autem Christiani , dignitati ac excellentiæ Rationis humanae valde injuriosi simus , de nobis pluri-

*num conqueruntur.* Philosophi Christiani,  
 nihil quod sit contra rationem admittunt,  
 contrarium nihil sano docent iudicio, sed  
 in revelatis a Deo ad salutem aeternam perti-  
 nentibus rebus, quae non sunt contra, at-  
 duntaxat sunt supra hominis rationem, *sub-*  
*jiciunt intellectum in obsequium fidei:* ab-  
 solute enim illis persuasum est, quod opera  
 & Divina mysteria mens humana imbecillis  
 & tenuis capere complectique non possit:  
 præterea propria convicti sunt experientia,  
 quod etiam præstantissima hominum ingenia,  
 vel in cognitione rerum terrestrium sensui  
 subjectarum, magisque adhuc rerum ab ipsa  
 natura absconditatum, adeo angustè cir-  
 cumscripta, definita & coarctata sint, ut  
 de quavis fere, saltem de innumeris qua-  
 stionibus prorsus naturalibus, perpetua utrin-  
 que dubia & opiniones ferantur, & aeternæ  
 quodammodo disputationes inter homines  
 ac nunquam decidendæ serveant; recte pro-  
 inde hinc inferunt quid jam iis dicendum,  
 dum de cognitione rerum, super ( ut vo-  
 canus ) naturalium aeternarumque agitur?  
 quam eadem vel excellentissima ingenia in  
 iis capiendis cœcutire absque luce revelatio-  
 nis oportet?

Calumniam vero Christianis Philosophis  
 hostes corum impingunt, affirmando, quod  
 Chri-

Christiani nimium vim mentis humanae de-  
primant arctisque circumscribant limitibus,  
dum imbecillam ineptamque eam faciunt ad  
detegendum concipiendumque verum quan-  
tumlibet sublime & altum; adeoque ita per  
Christianos depressa humana ratio, parum  
ut a brutis differat, oportebit. Calumnia  
haec inquam est. Quid enim sublimius sen-  
tire aut celebrare possumus de excellentia  
rationis humanae, quam quod a Conditore  
ita formata, ita ad lumen cælestis recipi-  
endum idonea facta sit, ut Deum ipsum  
quantum homini fas est cognoscere possit?  
hoc sane ipsum illam infinite elevat, nedum  
supra brutorum, sed etiam supra solis, sy-  
derum, Cælorumque naturam, ac præstanti-  
am. Et reapse cujusnam est in nobis opus,  
cujusnam vis, cuius actio? nisi Rationis no-  
stræ, quod cum naturali duntaxat lumine  
jam nonnihil, cum cælesti vero addita illi  
luce perfectius, & quantum nostra interest,  
Divinum illud agnoscamus Numen? certe  
haec cognitio supremi Numinis, non est cor-  
poris, non est materiæ, sed est mentis Spi-  
ritibus propria. Præterea, quid est illud  
in nobis, quod examinat, quod trutinat,  
quod consentit, aut rejicit ea, quæ nobis  
credenda, vel non credenda sint? nisi divi-  
nitus illustrata Ratio? Absque assensu ra-  
tionis,

tionis, ipsamet in nobis esse non potest Religion.

Nihil itaque dicendo de mirifica admodum humanæ mentis vi, celeritate & penetrandi virtute, quam illi propriam observamus in detegendis plerisque naturæ arcanis, in perscrutandis rebus plurimis de cælo, stellis & Elementis, in inveniendis tot scientiis, Logice, Theologia, Ethica, Physica, Astronomia, aliisque Matheseos partibus, in inducta varietate, quot Nationum, tot linguarum sacerendarum, aptarumque adeo ad exprimenda quævis hominum cogitata: in tot liberalibus artibus institutis, Historiæ, Politicæ, Eloquentiæ, Poëseos, in innumerabilibus fere mechanicis artibus adventis, cum necessariis, tum ad vitæ voluptatem spectantibus; quas profecto humani ingenii inventiones plane admirabiles, nunquam satis demirari possimus; quid doctius, quid sapientius, quid præstantius tot libris genuinis pulcherrimisque humanorum ingeniiorum partibus! Sed jam super hæc omnia, quæ enumerari nequeant, mentis humanæ molimina, & admirabilia opera, hæc ipsamet, quo ad fieri potest, Dei & attributorum naturæ Divinæ cognitio, non estne præstantissimum omnium mentis humanæ deus, commendatio & gloria?

Verum

Verum enimvero & istud quoque , imo cum primis humanæ rationis officium , partes que ejus sunt , suam sphæram ut nōrit , neque super illam se se elevet , suos ut agnoscat limites , quod videlicet infinita non sit , *hic comprimes tumentes fluctus tuos !* quod tantum in ordine naturæ , sed nequam quam super ordinem naturæ , sit ad omnia cognoscenda per seipsum apta & idonea , fortisque & mirabilis : quidquid vero situm est supra naturam , quidquid Divinum est , si id velit intelligere & capere , quod jam id proprias vires ejus excedat , jamque ad id superiore à Deo opus sit illi lumine.

Dcus autem nihil , quō homo vere opus haberet , hominis cognitioni subtraxit , nihil denegavit : quidquid enim ad vitæ ejus præsentis conservationem spectet , dedit illi horum omnium intelligentiam ; dedit sublimem , capacem , vastumque , ac eundem sagacissimum rerum inventorem intellectum : hic ei usque ad delicias alimenta , amictum , ædes percommendas , vecturam , navigationem , mille se se occupandi modos , usum Elementorum omnium , hic ei , in societate vivendi leges , suique defendendi copiam & artem , hic illi necessaria omnia ad hujus vitæ præsidium , & ad liberandum ab ignorantia hominem , tot ejus digna scitu excogitando , abunde

abunde providit : quod autem ad alteram in æternitate futuram vitam attinet , cum hic mens humana dubia quò se vertat , omnino hærcere debeat , revelationem quandam Di-  
vinam ipse Plato in Phædone homini ad id esse utilissimam & necessariam opinatus est : Ea itaque , quæ Ratio nostra nobis nequit detegere , ad vitam & beatitudinem nostram pertinentia , ignaro horum homini à Deo revelari oportere , etiam ut §. V. vidimus Pla-  
to ipse fatetur . Deus itaque tempore à se constituto misit homini revelatam è cæ-  
lo veritatem , quæ ei ad salutem æternam sit prodromus , facemque præferat . Si jam hanc Ratio superba respuit , & se se su-  
per illam extollit , liberum quidem id il-  
li est , sed id perquam imprudenter agit , sibique vehementer nocet . At id jam cui-  
vis bene cogitanti satis superque constat , quod Creator nihil nobis necessarii subtra-  
xerit , dum ad usum felicitatemque tempora-  
riæ vitæ dedit nobis præcipuum mentis &  
intellectus donum , quo nos vero beatos in  
æternum efficiat , suis hanc ipsam mentem  
nostram promissionibus & revelatione illu-  
minat .

Jam igitur ita cogitare , hæc prædica-  
re de Ratione humana , estne illam depri-  
mere , ac è gradu suæ dignitatis dejicere ?

Nequam

Nequam sane effrænesque in malum omne homines, quos *Libertinos* vocant, qui quam minimum sanæ rationis habent, eam quam maxime, sed simul pessime sibi contra nos defendendam assūmant. A nobis rationem nimium deprimi, nos graviter accusant, ipsimet vero una ex parte Rationem extollunt supra id quod est, parte ex altera cam vilipendunt & impie temereque deprimunt infra id quod est: quandoquidem eorum plurimi, etiam cæteris doctiores talem ut in nobis animam, esse etiam in Brutis disputatione & affirmant, eaque nobis & nos illis, in nihilum post mortem & nos & bruta redigendo, exæquant; agitur tantum (ut inquit) nos inter & bellus de diverso mentis rationisque gradu; ut in hujus ævi Philosophis, Volterio imprimis, quamvis sibi more suo ubique contradicente, doctrinam hanc impiam ad nauseam & fastidium nobis obtrudi conspicimus.

Sapienter igitur, inter excellentes hujus ævi recensendus Philosophos, Anglus Varburton affirmat, quod qui Rationem humanaam vituperat deprimitque, absurdè insigne stultitia disputationem suam finiat, necesse est, sed simul idem quam mirifice solideque deducit in præclara lucubratione de nexu Religionis, Ethices, & Politices,

quod

*quod Ratio nostra ultra suos limites propriamque sphæram elabi, sinenda non sit.*

*Principium Theistarum Philosophorum nonum : Superstitionis denique omnia illi arguunt & accusant, illi inquam, de quibus nulla eorum injuria, nam vere dici potest, quod nullius Religionis sint, & quod sub his nominibus Theista, Deista, Spiritus fortis, Philosophus Relig. honest. hominum, lateat re ipsa, homo omni Religione destitutus. Habant nonnulli talem, quam plerique Philosophi prisci, id est Religionem propter populum, quam identidem commendare solent, sed eam neque propter se ipsos, neque propter Principes habent. Tantum Religionem dilaudant, quantum eis persuadet Politice, quod absque Religionis ope, Populus in officio contineri non possit, & illam duntaxat respiciunt, tanquam inventum Politicum: quantum vero ad eorum conscientiam attinet, universam Religionem, ejus Mysteria, actus & ritus omnes, supplicationes & ceremonias, Virtutes, legesque Christianas, uti superstitiones & fanaticæ despiciunt & proscribunt. Non cessant in superstitiones invehi, & iterum iterumque in superstitiones; & hic est proprius Theistarum stylus & indoles: sed hæc apud eos superstatio, nihil aliud significat, quam potissi-*

potissimum Religionem Christianam Catholica-

cam.

Scimus bene Christiani à Religione separare superstitionis deliria & anilia , vituperamus illam & ex animis Populi conanmur evellere , quandoque & è mentibus personarum digniorum plus simplicitate quam doctrina præstantium : odimus ut illi male olentes , ut vocare solemus , *Sanctulos*, aut infames Hipocritas ; ignoramus nihilominus qua ratione horum nobis Philosophorum conciliemus gratiam , quandoquidem apud eos & genua coram Deo flectere , est superstitionis , & certis diebus frequentare Templa , est superstitionis , & modestiam silentiumque in Templis servare , est superstitionis , & Deum invocare , cique ante & post cibum sumptum gratias agere , est superstitionis , & libros Christianos morales legere , est superstitionis , & matutinas serotinasque preces ad Deum fundere , est superstitionis , & de Deo ae Religione sermocinari , est superstitionis. Qui jam sunt ergo alii Religionis , si quam habent , actus & indicia ? cum apud eos etiam peccata contra sextum Præceptum Decalogi , atque alia clandestina præsertim vitare flagitia , sit vanus scrupulus & pura puta superstitionis. Quis jam illa evitanda sit , si forte Theistis gratificari velimus , nos plane

nescimus. Tantum nobis constat, Religionem esse debere in animo, sed absque externis actibus bonisque operibus, absque publico cultu & adoratione Dei, nullam esse. Apud eos dum Tempa omnia cum universo Sacerdotio omnibusque Christianis in cineres redigentur, tum primum cessabit supersticio.

Jam quomodo illi docent Principes? quod solennius clariusque apud istos Philosophos est isto dogmate: *Religionem tantum esse Principi inutilem, quantum Populo necessariam.* Principum, juxta eos, hi veriduntaxat sunt duo Dii, eorum *utilitas propria*, & *Ratio status*. Præcepta quæ appellant Divina, obstringere vulgus non Principes. Illos esse supra omnes Divinas humanasque leges. Beata Regna, beatos dicunt Populos, ubi hæc totam vim habent & dominantur Philosophorum principia. Christianis Philosophis ignota hæc sunt, ideoque isti apud plerosque hujus ævi Philosophos ad procurandam Populorum, Principum, propriamque felicitatem penitus incerti sunt, prorsusque inutiles.

Sed jam satis esto, de maxima inter Theistas seu honestorum hominum Religionis affectus, ac nos, diversitate principiorum

rum ac opinionum, e quibus regulas Legesque morum & mores ipsos continuo effluere necesse est.

### §. XIII.

*Varietas Principiorum & Sententiarum in materia Religionis, varietatem morum inducit. Ostenditur qui sint mores male de Religione sentientium, qui verè Christianam Religionem profitentium?*

**E**X hac inter nos tres Theistasque Philosophos diversitate & oppositione Principiorum, quid jam naturaliter necessarioque emanat? Varietas scilicet opinionum de officio & obligatione hominis: inde vero consequitur effluitque varietas Regularum & Praeceptorum ad vitam instituendam pertinentium, tandem ex horum diversitate, diversitas morum.

Complectamus dicta superius brevibus: è principiis eorum Philosophorum, qui hanc honestorum hominum sequuntur Religionem & dogmata, constet, ut volunt, Deum nihil horum curare, quæ agant homines: nec Cœlum nec infernum, vel juxta paucos ex illis, Cœlum solum pro mercede virtutis admitti; supplicia impiorum & scelerum

nulla dari , multo minus æterna : animæ mortali dum è corpore exierit , nihil in futura vita præstolandum , nihil esse timendum : esto per eos & immortalis sit anima , sed Deum summe bonum esse ut ad æternas hominem possit pœnas damnare ? &c. quidnam necesse est ex his sequi principiis ? omnem nimirum peccandi libertatem , ac effrænem in omne malum , præsertim clandestinum occultumque licentiam. Modo enim legibus civilis societatis satisfecerint , modo pœnam à Rege , Magistratu seu quavis potestate constitutam evitaverint , modo molestiam vitæ , infamiam , jaæturam honoris , fortunæ , salutis , effugerint , jam nullum iis nefas est , quod vel cum tota illa , quam nonnulli corum prædicant , fætitia Dei charitate , secura quadam conscientia eis patrare non licet ; nisi forte aliqui bonam quandā ac cæteris meliorem , quod perrarum est , crimina & flagitia ex semet perhorrescentem naæti sint animam , aut nisi falsum esset , quod adeo vere observatum sancteque in Scriptura dictum est , pronos esse ad malum ab adolescentia sua sensus hominis , si non cum timor Dei Religioque contineat.

At dicant Theistæ , id quod hic prætercundum non est , imo diligentius perpendendum : videlicet , etiam Christianos cum tota

tota eorum Religione Christiana , æque graviter ac enormiter sæpeque peccare posse, imo etiam peccare , ac peccant Theistæ & sine Religione Athei. Sed enimvero quid certius ipsaque experientia evidentius probatum est , quam quod Christiani , quamdiu se Christianos vere esse profitentur , absque scrupulo , metu , angustiis animi , diroque mortu conscientiae peccare non possint: cum fieri nequeat , ut post peccatum vindictam Dei seu temporalem seu æternam , quamdiu sunt Christiani , non pertimescant. Etenim Christiana eos docet fides , quod Deus peccata temporalibus & æternis castiget pænis: timor hic itaque eos tandem coercet , & ad vere pænitendum disponit. Contra Theistæ , homines qui tantum honestatem humanam profitentur , peccant quidem , sed nihil eos terrente , nihil illis cōminante cōscientia peccant , quæ in incredulis ( horam mortis eorum excipere ) obduruit jam & occalluit , peccant sine scrupulo , sine ullo pænæ , præterquam aliquando humanæ , metu. Quæque igitur vel flagitiosissima sine pudore timoreque perpetrare facinora , de adulteriis & similibus , præsertim si in ea Magistratus non animadverat nec puniat , etiam gloriari illis fas est , illis licet. Conscientia siquidem paulo supra recensitis principiis & opinionibus

Philosophicis occupata, nec quidquam sibi timens à Deo , nec enormissima quidem crimina eis exprobrat , nihil in illis reprehendit , nihil damnat , videnturque sibi innocentes esse & omnino tranquilli, dum in existimatione hominum sint honesti.

Si jam nulla condonata injuria crudelē etiam de inimicis adversariisque suis sumere vindictam possint , hanc perlibenter & cum oblectamento sine ulla conscientiæ improbatione sumunt , aut implacabili usque ad cineres , contrā offensæ veræ aut falsæ auctorem , in semet pacati , flagrant odio. **Æ**s alienum quam maximum undequeque contrahere , illud à se certo tempore restituendum cum omnibus lucris & usuris sub fide honore & conscientia spondere , fidem datam seu domi seu in Actis publicis scripto obfirmare , interea vero decies ac plures elabente præfixo ad solutionem termino , de persolvendo minime cogitare , mille modos ad fraudandum eludendumque creditorem conquerirere , effectis pro arbitrio coloribus de censu aut capitali ut vocant summa aliquid detrahere ac rescindere , quin etiam servos , operas , Artifices ac Mercatores pacta mercede pretioque frustrari , & nummos interim in ludos , convivia , fornices , ac in omnem luxum insane prodigare ,

gere , nescio quomodo sibi isti persuadent hæc non esse contra honestatem humanam , multo minus hæc esse contra conscientiam & Deum : tantum abest , ut ista sibi cipiā vertant culpæ , potius ut hanc rationem agendi ut sublimem æconomiam ac politicen in re familiari necessariam sibi ipsis collaudent . Mentiri , jurare , ac peierare , tantundem apud eos est .

Calumniari quempiam , cuiusvis obvii qui in mentem veniat , famæ detrahere , mali nihil apud ipsos est , cum ita exigat communis conversandi ratio , quæ sine hoc obtestationis pabulo cito deficeret . Jam vero ut fortunam , ut honorem , aut favorem Principis assèquantur , quid sibi non licere existimant ? Sive enim summa vi & injustitia debiliorem oppresserint , sive falso innocentem accusaverint , sive Judices munericibus corruperint , aut iniquam eorum sententiam violenter extorserint , sive in modum latrocinantis vicinum tenuiorem de sua proprietate depulerint , sive nefario quoque artificio æmulum suum de bona Principis opinione dejecerint gratiaque excluderint : esto quam turpissima deceptio , dolus malus & callidissimæ supplantandi artes , esto fæda juxtapaque vilissima ad circumveniendam Principis animum adulatio , esto vel

pernitiosum Patriæ consilium , modo aucto-  
ri sit utile , esto denique vel nefanda secre-  
taque in Principem Regemque suum conspi-  
ratio , rebellio , proditio , dummodo cum  
privato emolumento proditoris cohærent ;  
omnia hæc illis licent , si fortunæ eorum  
expadiant , si præsertim tuto possint commit-  
ti. Nullus enim illis obstat timor Divinæ  
offensionis aut vindictæ , ubi de exsaturan-  
da avaritia , augēdo bono privato , satianda  
lascivia , ambitione , aut vindicta , captan-  
do favore Principis , aut si favere nolit , de  
ultione ex eo quærenda agitur : prompti ad o-  
mne flagitium : nam ut nulla boni operis  
merces in altera vita , ita nulla peccati  
punitio apud eos est , vel saltem hæc , in-  
ter incerta plane ab iis numerantur.

Quare plus etiam de iis vereque dici  
potest , quod propemodum imprudenter secus  
agere viderentur , si sublatis Dei Præceptis  
ac Evangelio , sublata spe præmii metuque  
pænæ , aliquem adhuc conscientiæ scrupu-  
lum reliquum sibi facerent. Nam cui illis  
bono esset , Deo nec remunerante nec puni-  
ente , perdifficilis ista , præsertim in arcano  
a quovis scelere continentia ? innocentia ,  
& morum severitas ? Proinde ut Paulus A-  
postolus ait , *quaæ in osculo sunt ab ipsis , tur-*

pe

*pe est & dicere.* En maxima parte horum honestæ Religionis hominum & philosophandi, & consequens ad corum principia vivendi ratio.

Statuamus nunc ex adverso honesti Christiani imaginem ; & quemadmodum *justus ex fide vivit*, videamus quomodo ille mores suos ad fidei Christianæ amissim conformet, ac in quo Christianam collocet honestatem. Diximus, ac abunde demonstravimus, quod honestas Philosophica, seu probitas novæ hujus Religionis duobus his cœu cardinibus innitatur, quarundam scilicet virtutum, ad decorum in societate humana servandum, superficie, deinde sollicitæ conservationi proprii honoris & famæ.

Postquam igitur jam verissimis lineamentis depinximus istos homines, qui solam Religionem honestorum hominum profitentur, videamus, quomodo Christianus, super aliis planeque diversis duobus itidem fundamētis Christianam statuat honestatem. Ac primo : honestas Christiana, ad Religionis Præcepta, mores diligentissime conformare, id est omnes Christianas virtutes Theologicas ut vocant, ac morales exercere, simulque ab omni peccato declinare, idque totum amore solius Dei, & propter animæ salutem, jubet. Deinde secundò, suum cui-

que honorem & famam, cautè, sollicite, ac juxta Christianæ Religionis leges tueri præcipit.

*Honestatis Christianæ*, ( honestus quidam inquit Politicus lib. de vera Politice) *honestatis Christianæ conditio inseparabilis est*, ut Religionem Christianam constantissime profiteare, ut ejus disciplinam exacte sequare, ut licentiam vite ac impietatem omnem perhorrescas. Intime autem, in mente, in cogitatione ipsa, licentia & impietas honesto Christiano perhorrescenda est, non factis duntaxat externis & ad hominum oculum censuramque compositis. Fuerit enim & Theista Philosophus morali virtute conspicuus, opera ejus, cum in conspectu sint omnium, ac sermones etiam, possunt esse compositi ad normam virtutis. Sed quis de cogitationibus ejus ac mente respondebit? Non credit hujusmodi Philosophus quod Deus cor animumque suum scrutetur, quod ejus cogitatorum sit conscientia, quod Deus legem homini sub promissione vitæ æternæ, aut sub comminatione supplicii æterni, posuerit. At Christianus credit. A quo igitur timebit iste Philosophus? senemet ipsum ut illi inquiunt, timere, cavere, ac vitare debet? Sed quan parum pertimescendus custos, quam parum metuendus sibimet ipse est homo censor! qui cum fui amoris propriæ plenus sit, non est cur tantopere sibi a semet timeat.

timeat. Gravis profecto atroxque sibi non erit , in castigandis Deo injuriosis , aut vero concupiscentiæ, libidinis , iræ implacabilis,vindictæ , cogitationibus , aliisque homine virtute prædicto indignis ; cum hæ ipsæ cogitationes ejus opinione illicitæ esse nequeunt : quomodo enim illicitæ essent? cum Dei lege prohibitæ non sunt ? nullique eorum reddenda sit ratio ? Bonus autem Christianus hunc summum , præ Theista è sua Religione reportat fructum , quod non modo loqui ac agere , sed ne male quidem cogitare sua illi permittat Religio , quinimo vel cogitationes malas gravi ducit delicto. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscentiam eam , jam mechatus est eam in corde suo.* Cum igitur Christianus sua religione jubente vel ipsas malas cogitationes vitare cogitur , quidni mala opera devitet?

Novit siquidem probe honestus Christianus , quod Deus omnia videat , omniaque penetreret. *Illuminabit abscondita tenebrarum , & manifestabit consilia cordium.* Credit verbis Christi honestus Christianus. *Quod nihil sit occultum , quod non reveletur.* Ac propterea non externe tantum , & ad speciem , sed intus & in animo curat esse bonus , justus & honestus , propterea omnem malitiam , iram , invidiam , obtricationem , injustitiam , mendacium , avaritiam,

ritiam , superbiam , luxuriam omniaque videribus omnibus peccata vitare studet , cum non ad humanū oculū , sed unicè propter videntē omnia Deum operetur . Hac ipsa de causa actus Religionis Christianos , domi mane , ac vespere , in Templis Festis saltem diebus , sacras è Cathedra vel piis libris conciones , eleemosinas subsidia pauperum , jejunia præcepta , pro virium valetudine , nunquam intermittit ; & eos tanquam nugatores leves que eorum fugillationes contemnit , qui toti corporis voluptatibus dediti , hos aliquantum naturæ molestos , at *corpus insolens in servitutem redigentes* , impie derident & jocis proscindunt , à Religione & Evangelio præscriptos actus .

Honestus Christianus injurias sibi illatas condonat ex animo , vindictam non cupit , pro suis Deum etiam deprecatur hostibus : quemvis proximum pro charitate Christiana , quibus modis potest ultro elacriterque juvat : amico datam fidem inviolabili- ter sancteque servat , sed in amici gratiam , nihil quod legi Divinæ aduersetur , admittet : verba mendacii ac simulationis non novit : de se permodestè sentit , despicit neminem : & vel infimos pares sibi naturā , virtute meliores existimat ; cognoscit

scit seipsum, id est hominem obnoxium vitiis & peccatis: libidinem, lasciviam pravosque motus animi cohibet, ac cor ab omni labore sollicitè illibatum conservat: si per infirmitatem humanam delinquit, sequelabi advertat, per religiosum Sacramentorum usum illico se se erigit: non obstinatam in malo voluntatem gerit, sed mox delicta & vitam emendare omni contentione satagit: ab omni malo atque etiam mali occasione declinat, propitium sibi reddit pænitentiâ Deum: vicariam ejus potestatem, tam in Principe, Magistratu & Judice, q̄a Civis, quam in Sacerdotio, qua Christianus, prout par est, reveretur & audit, iisdemque ut Deo obedit: Ecclesiæ, servis, operis, creditoribus, opificibus, mercatoribus, suum cuique plenè solvit ac reddit: nulli, quo tenetur, hominis, Civis, Patris, mariti, Domini, servi, Magistratus, Judicis, Ducas, Militis &c. &c. officio decessè, totus satagit: cum in his omnibus non humanos plausus, sed desuper paratam mercedem, imo Deum ipsum, qui se bonis *in mercedem magnam nimis* offert, poæstoletur. En nucleus, veramque honesti ac Christiani hominis effigiem, en mores illius è Religione tanquam è fonte suo decurrentes.

Quod

Quod autem curam tutelamque honoris attinet: honestus Christianus permagni suum facit æstimatque honorem, tanquam præcellens cæteris, datum sibi in terra bonum, quod & facer Textus commendat, melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ: sed conservationem & defensionem honoris, in rebus secundum Deum licitis, & justis collat. (\*) Tuetur illum quidem juxta statum

con-

(\*) Perperam nonnulli Philosophorum, qui conquirunt undique modos, quibus Religionem Christianam in invidiam adducant, hanc ei inurunt notam: isthac scilicet, inquiunt, Religione deprimi dejicique hominum animos, ab ea nempe perquam humilem, imo & malam de se opinionem, & quandam veluti coram omnibus reputantem imperari humilitatis virtutem: Religioni huic proprium esse, animum ad contemptum honoris, gloriae, præclaræ estimationis & magni nominis, formare. Sed enim quam perversi sunt Interpretes isti in explicando Christiano sistemate, & Religionis vero Spiritu: nam hic quidem re ipsa omnes ejusmodi cogitationes inspirat homini, sed eo duntaxat fine, ut in illo

conditionemque suam, verum superiores se  
 Magistratus, omnemque potestatem & leges  
 prout par est, veretur & colit, seque eorum  
 prompte submittit imperiis. Pares non of-  
 fendit, inferiores non spernit. Ipse met ho-  
 nestus ejus ambitus in assequendis honori-  
 bus

---

*illo vanitatem, superbiam, arrogantiam,  
 innatamque illi immoderatam ambitionem,  
 quantum fieri potest, refrænet, modera-  
 tur & reprimat. Et revera quidem Reli-  
 gio nostra revocat cuvis in mentem con-  
 tinuo, hominem, tot calamitatibus, igno-  
 rantiæ, excitati, miseriis, pravisque in-  
 clinationibus obnoxium, tantæ in bono in-  
 constantiæ, habituum tam viotiosorum ple-  
 nissimum, tot coram Deo peccatorum &  
 culparum reum, ut homo cesseret tantopere &  
 stimare scipsum, ut hac vera cognitione  
 sui ipsius, intimè semet convincat, illum  
 nullo prorsus honore, nulla existimatione,  
 multominus fama & gloria at potius de-  
 decore & ignominia dignum esse. Cumque  
 hac ratione ipse se se cognoverit, intus-  
 que coram Deo Creatore suo, ita ut æ-  
 quum est, de se senserit, tum aspirando,  
 (ut homini id proprium, innatum, nec  
 frustra à Conditoris ejus naturæ infusum  
 est)*

bus & fascibus , minime in illo reprehendens est , qui potius generosum ejus decet animum. Non enim honores , tanquam crepundia , vana decora & quempiam superbiae somitem intuetur , verum eos tanquam instrumenta & adjumenta quædam respicit , quibus

---

est ) tum inquam jure merito aspirando ad bonum nomen , ad præclaram in societate qua vivit existimationem , ad famam optimam , imo & ad munera decoraque Patria , simul autem modestos , & alienos ab omni fastu & superbia gerendo spiritus , sui conscius , seque noscens , profecto non peccabit cæca illa & immoderata animi elatione , neque calcatis divinis humánisque juribus naturali satisfacere curabit honoris ambitui : qui quidem ambitus ita moderatus temperatusque , nec illum adducet in interitum , nec Patriæ damnio ruinæque esse poterit ; quemadmodum Patriam sæpe obruit olim gloria multorum , & laudis titulique cupidio. Moderari igitur animum , modestè ac demissè de se ipso sentire , non se aliis anteferre , non honores tanquam omnino lege quadam sibi debitos aut solo jure nascendi ad se per-

quibus se humanæ societati, Patriæ, & Princi-  
cipi reddere perutilem possit; solis initar,  
cui adjecta epigraphæ, quò altior è utilior.  
Ipsa etiam cum modo magnificentia condi-  
tioni ejus conformis, argumento est, nosse  
cum probè quid sibi, quid suo debeat mu-  
neri.

Q

pertinentes putare, appetere, & propemo-  
dum extorquere à Principe; voluntati Di-  
vinæ ejusque Fato, siue compos voti fue-  
rit siue minime, se se submittere, obfir-  
matum ad utramque fortunam quod &  
ipsa Philosophia plurimum commendat,  
pectus gerere, omnia quæcunque vanitatem  
redolent, internè contemnere: hac sunt  
qua docet Christiana Religio: sed simul illa  
existimationis suæ, & bonæ famæ curam  
omnem habere, altiores Magistratus hono-  
rumque gradus desiderare & appetere, tan-  
tum abest ut prohibeat, potius ut vel in  
ipsis ad sacros fasces & Tyaras destina-  
tis Personis id non improbet, imo probet,  
cum asserit, qui Episcopatum desiderat,  
bonum opus desiderare; dummodo non  
umbra capitur pro corpore, id est, vani ti-  
tuli, pro perhonorfico quidem, at simul per-  
quam laborioso officio. Nam ut vere  
cla-

neri. Injuriam quidem suo honori inferri non sinit, sed ad eam propulsandam æquissimo jure utitur. Neminem lacepsit, sed lacepsitus vim probe legitimeque à se amoliri & arcere novit. Nominis sui famam apud homines fartam tectam tueri, existimationem pro-

clariorusque dicamus, plurimum profecto Religionis interest, ut probi & boni Christiani, totum quoad fieri potest Orbem regant, ut fulgeant, ut celebrentur, ut Magistratibus præsent & amplissimos honores possideant. Anne enim impiis & Religionis hostibus jus omne & potestas relinquenda sunt? flagitijs hæc rapiant, bonis interdictum sit manus ad hos fasces extendere? Christiani hæc fugiant, recusent, contemnant, & totam Rempublicam irreligiosis tradant, malis occupandam deserant? Adeant potius viâ Regia, id est meritorum de Patria, Civitatis & Republica munia, sint Consules, sint Prætores, sint Senatores, sint Copiarum Duces, capessant & Regiam dignitatem, sed tamen semper modestum & demissum gerant animum, non intumescant, sint humiles erga Deum gratique, illi honorem suum in acceptis

probitatis & honestatis suæ, imò & virtutis firmare, omni conatu adnititur, cum nōrit, *necessariam sibi esse conscientiam propter Deum, famam propter proximum.* Homo quippe absque bona fama virtutisque opinione, quid quæsto boni propter societatem

Q<sup>2</sup>

&amp;

*ceptis referant, & ut donum sibi à Deo concessum retineant.*

Cæterūm quis rationis compos non fateatur, in homine appetitum honoris, existimationis & gloriae, præclarum esse donum naturæ? Maximum certe istud ad omne bonum incitamentum est, ad præclare facta, ad bene merendum de genere humano calcar acerrimum: absque eo nihil sublime seque dignum magna illæ aut cogitarent, aut aggrederentur indoles. Est hac ut verbo complestar omnia, dos pulcherrima & necessaria homini à Creatore infusa. Hoc ceu efficacissimo quodam stimulō ipsemet Deus uitur, cum ad dignas Rege cogitationes dignaque Rege opera, per watem suum interpretem, Davidem excitat: feci Tibi nomen grande, juxta nomen Magnorum qui sunt in terra: Er-

donec

& in societate humana facere? aut quod munus in Republica cum auctoritate dignitateque administrare potest?

Neque jam verò illum ipsum honorem ac temporariam famam tanti aestimat, ut ejus tuendæ causâ Divinam gratiam, Divinam

gone Religio prohibebit illa, quibus Deus ipse homines exornat & excitat?

Religio igitur vetat, ne tuum honorem anteponas Divino, præcipit potius, ut facta tua resque gestas ad laudem Dei & Domini tui, non verò ad ostentationem & vanam gloriam dirigas: ut propter Deum & aeternam animæ salutem tuæ, non verò propter oculum & acclamations populi, in virtutem incumbas: Iam si virtute præstes, ne quidquam metue, gloria & honor proculdubio tanquam umbra corpus sequentur, & illa omnia quibus cor humatum tantopere delectatur. Trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque maxime gloriæ ducitur. Cicero. Optimi mortalium altissima cupiunt. Tacitus: Nihil ejusmodi sententiis Christiana adversatur Religio, modestiam solum animique moderationem exigit, charitatem in

vinam ut ita dicamus de se existimationem parvi pendere ac spernere videatur, seu quod idem est, ut pluris faciat ab hominibus, quam ab ipso supremo Numine aestimari. Verus Christianus ita juxta Divum Christum secum ipse reputat: *quaes uilitas hominis, si illum totus Orbis admiretur & laudet, Conditor autem & Iudex omnium, aeternum condemnet?* Ac tandem cum Divo Paulo sic statuit, *gloria nostra hac est, Testimonium conscientiae nostrae.* Hæc igitur vera est, paucis quidem & absque fuso depicta, probi Christiani imago: quam compendiosius adhuc colligendo, id de eo brevibus dicendum est, quod scilicet secundum Religio-

Q 3

---

*in alios exigit, justitiam exigit, ne emolumenta tua fraudi damnoque sint te dignioribus, & te melius de Ecclesia Principi pe ac Republica meritis.*

*Par responso afferri potest ad opum divitarumque curam, quam, ut objiciunt Philosophi, Religio Christiana prohibet, proinde pauperie & egestate Gentes Civitatesque, (ut ab iis accusatur) marcescere sinit. Omne enim hac de re nostræ Religionis consilium eō reducitur: divitiæ si affluant, nolite cor apponere.*

246 §. XIV. RESP. PERDITA IN QUA

ligionem vivat; integritatem autem honoris  
ac optimæ apud Homines existimationis,  
cum timore Dei & bona simulque tuta con-  
scientia sapienter nôrit copulare.

§. XIV.

*Publicæ privatæque rationes expenduntur,  
ob quas probus Christianus, præfertur probo  
Homini ex ista Religione fælicitia hominum  
bonorum. Bonam, florentem, felicemque  
Rempublicam, nullo prorsus modo esse  
posse, cuius Cives irreligiosi sint, ma-  
lisque moribus.*

**I**nquiramus jam ac statuamus, satisne sit  
cuiquam honesto esse viro, quin simul  
idem probus sit Christianus. Enimverò, si  
quem nondum totum abripuit occupavitque  
isthæc nova Religio Philosophorum, qui a-  
liquarum tantum virtutum socialium sibi  
corticem & superficiem sufficere arbitrentur,  
veras autem, Christianorum præcipuas, mo-  
ralesque eorum virtutes rejiciunt, Præcepta  
nulla, legem nullam Dei agnoscunt, pecca-  
ri contra Deum, peccataque à Deo puniri  
inficiantur, qui rejecto fine ultimo homi-  
nis, in temporalibus bonis ac præclara apud  
homines de se opinione & fama, aut in ipsa  
vanæ

vanae ac infructuosae virtutis possessione con-  
quiescunt ; si quis his inquam principiis non-  
dum se totum abripi occuparique sivit, huic  
fana adhuc mens & ratio permittet unam no-  
biscum agnoscere , quantum longè præstet ,  
bonum esse honestumque Christianum , præ  
Philosopho , collocatae in sola honestate hu-  
mana Religionis Præcone.

Ego vero triplicem ob causam , bonum  
Christianum , honesto isti homini præferen-  
dum omnino esse , procul omni dubio af-  
firmo & statuo : imprimis ob publicum hu-  
manæ societatis bonum : deinde ob famæ e-  
tiam temporariæ veræ solidæque rationem :  
postremò ( quod semper primum & maxi-  
mum , cæterisque omnibus longè majoris  
momenti , homini mente prædicto debet esse  
incitamentum ) ob spem in altera vita feli-  
citatis æternæ.

Melius , inquam , imprimis est bonum  
esse Christianum , ob publicum humanæ so-  
cietatis bonum : ad hunc enim scopum tota  
hæc nostra tendit lucubratio . Cui Patria  
cordi est , ejusque præsentem infelicissimum  
videt & examinat statum , simulque perspi-  
cit , quam hæc omnia mala & infortunia  
publica , non aliunde apud nos quam ex  
summa regiminis interni confusione , è dissolu-  
tis semper infructuose Reipublicæ comitiis ,

proinde ex publici derelictione inopiaque consilii profiscuntur, quisquis hæc inquam penitus considerare velit, contremiscat & torpeat necesse est super observatione de interitu multarum Nationum, facta à plerisque optimis & sapientissimis rerum politicarum Scriptoribus, quibus nostri æque ac præteriorum sæculorum historia præ oculis est.

Manifeste itaque clare & indubitate meliores quivis ostendunt Politici, in omni Gente, Regno, & Republica, ubi depravati malique mores altas jam longè lateque egerunt radices, & jam quodammodo dominantur, actum jam desperandumque esse de ea Gente, Regno & Republica, ut è præsenti ruina erigi, ut sibi melius consulere & prospicere, ut ad meliorem pristinum statum, ad corrigendam internæ administrationis & rectionis formam redire unquam revocarique possint. Id perquam est evidens, nec fieri aliter potest. Ubi etenim multò major est copia numerusque flagitiosorum & perditorum, quam bonorum Civium, quid jam de tali Populo, de tali Natione, adeò malis infecta, boni sperandum supereft? Id in re ipsa videamus. Posunt enim pauci, qui adhuc supersint, quos adhuc in multitudine malorum reperies,

vere

vere probi sapientesque Cives, saluberrima  
 & optima, ad erigendam è naufragio Pa-  
 triam præbere consilia, sed isti pauci obru-  
 entur à majore nequam Civium numero;  
 mali, bonis invicto semper erunt obstaculo.  
 Semper etenim bonorum evertent conamina  
 homines malorum morum, intus pessimi,  
 vitiorum & criminum occultorum pleni,  
 quibus Gens jam in semet tota depravata  
 abundat, homines scilicet avari & inexple-  
 biles, homines qui per fas & nefas suam  
 rem privatam augere discipiunt, homines,  
 qui luxu & libidinibus rem domesticam de-  
 coxerunt, & damnis Reipublicæ ac infami  
 ex ea questu sua damna sarcire & reparare  
 contendunt, homines in omnia flagitia &  
 ipsam proditionem Reipublicæ & Principis  
 proclives & proni, dum eorum ambitioni  
 effræni, ridiculis cupiditatibus, superbiæ,  
 vindictæ, furorique satisfiat; homines fæde  
 inhabentes pecuniis privatæque rei amplifi-  
 candæ, ideoque vilissimi & abjectissimi,  
 quibus vel turpissima adulatio, & infamis  
 rependi ante Potentiores, atque capita pro-  
 sternendi consuetudo, basia manuum, ge-  
 num pedumque presatio constent nihil;  
 homines ad omne mendaciorū & calumni-  
 arū genus projectissimi, homines vendere, vel  
 maximas sanctissimasque Patriæ rationes cui-

vis plus offerenti paratissimi , dum vel exiguuni brevemque inde fructum percipient , homines brutis voluptatibus , lasciviis & libidinibus nimium toti quanti immersi , ut erigere possint mentem ad meditandum aliquid sublimius , sibi gloriosum , humano generi salutare & utile.

In qua igitur Gente , Regno & Republica talium pars magna aut major civium jure suo ad consulendum Reipublicæ se se immiscet , & muneribus officiisque Ecclesiæ , Patriæ , ac Principis pro jure nascendi admovetur , quid jam ibi divinandum est , quid de ea Gente fieri ? cuius consilia , Aerarium & redditus publici , arma & militarium copiarum imperia , justitiæ administratio , templa & Sacra in tam flagitosorum sint manu Civium ? quomodo Natio perditæ idgenus referta hominibus se se ab imminentे certoque exitio , interitu , ruina , liberabit & cruet ? Istine salus erunt Patriæ ? tum cum difficillimis , uti accidentunt , Republicæ temporibus , omnia pro sacris , salute & libertate aggredienda , movenda , excitanda essent , cum vel maxima ultro essent adeunda pericula , incommoda famis , sitis , frigoris , insomniorum libenter ferenda , toleranda fortunæ , splendoris , bonorumque jactura , & omnium rerum quibus nihil in vita carius

ta carius detimenta , obfirmandum contra  
infortuniorum tela vimque fati ahencum pe-  
ctus : istine quæso delicati , molliculi, uxori-  
i , meretrici , libidinibus undequaque ca-  
tenati & vinceti , istine , calamistrati & cin-  
cinnati Trossuli , istine augendæ vel per  
scelera rei privatæ cupidissimi & insatiabi-  
les opum helluones , istine superbia , & am-  
bitionis peste , invidia alieni boni , odiis  
ardentes mutuis , istine adulatores , versipel-  
les , fraudibus , perfidiæ , periuriisque infucti ,  
istine ad rapinas vexationesque & in omne  
nefas audacissimi , istine perditissimorum  
morum homines nota publicæ impietatis inu-  
sti , idonei forte erunt promptique , ad de-  
fendendas aras & jura Reipublicæ , ad con-  
sulendum ut bene sit Patriæ ? ad cives à  
ruina & clade vindicandos ?

Si cui jam , hominis alicujus genus hu-  
manum exosi , solitarii & asperi , non poli-  
ticorum hæ esse meditationes videntur , præ-  
stabit saltem fidem Philosopho & Poetæ E-  
thnico , qui Romani Imperii pernitiem &  
occasum libidinibus & plenis lasciviæ mo-  
ribus , ac alte jam in animos immisis ad-  
scribit sceleribus : *fæcunda culpæ fæcula ,*  
*nuptias primum inquinavere , & genus &*  
*Domos ; hoc fonte derivata clades , in Pa-*  
*triâm Populumque fluxit : verùmne id omni-*  
no

## 252 §. XIV. RESP. PERDITA IN QUA

no esse agnoscat Ethnicus ? Christianus negabit ? omnia nimirum mala Gentium à malis & impuris moribus flagitiisque effluere ?

Sapienter igitur à plerisque affirmari solet , nos prius , quam internæ gubernationis formam , immutandos refundendosque esse . Secus , actum est decretumque fatis , nobis aut pereundum esse , ita ut desinamus illa esse , quæ fuimus , Natio , aut mores nobis esse mutandos . Gens quævis & Respublica ( nulli falsitati obnoxia hæc est Politicorum admonitio & summa veritas ) Gens quævis & Respublica depravata interiorius , in qua flagitorum plus sit quam virtutum , Gens in semet corrupta , agat quidquid velit , jam propriis destituta est viribus , quibus se sc̄ resque suas emendet . Jam periiit , jam sine spe resurgendi interiit .

Avertant Superi , ut id de nostra Natione intelligam : multum adhuc in ea est honestatis veræque virtutis , cuius vel his iōsis calamitosissimis temporibus clara & crebra monimenta incitamento erunt laudique posteris : sed summa jam adhibenda est diligentia labor & bonorum conatus , ne ut impietas seu ut vocant *irreligio* , & qui ex ea corruptissimi fluunt mores , paulatim & apud nos ita gliscat , ut deinceps etiam dominantem Religionem & cum ea mores avi-

tos

on

tos ac omnia susque deque evertat. Dicamus disputemusque ut libet, certe descripta hactenus fideliter Philosophica Religio honestorum hominum, eorum sensa, doctrinæ, principia & libri, impietate non paucos inficiunt, hanc autem mox sequuntur mores pessimi & flagitia. Et nostri ergo interitus, cum à fatis definitur, nulla est, nulla unquam alia erit causa.

Tolle siquidem, ut isti Philosophi cum genere humano faciunt, tolle inquam proris natura ad malum hominibus, quibus sola virtus difficilis est, omnem spem mercedis, omnem metum pœnæ æternæ, sustulisti unicum idemque efficacissimum ad cohimbendos homines à peccato frænum, sustulisti pulcherimum ad virtutem illicium; r̄jimus! jam in orbe terrarum, jam & apud nos ipsos, incredibilis longeque major malorum numerus, obruat minorem longè bonorum numerum, necesse est. Spes & timor religiosus nos continent, istis fortiores quæ nos à malo retineant habendas, humana non novit indeoles. Qui has diruperit, disrupterit vincula nexusque omnes societatis humanæ.

Soluta hac Religione, quid inde Genus humanum emolumenti referet? quid Reges quid Principes, quid Cives, quid Patria nihil

nihil certe aliud , quam quod omnia , dis-  
solutissimis moribus , omnis generis libidini-  
bus & latrociniis permiscebuntur , Respu-  
blica vero sceleratis prægravata hominibus  
magis magisque semper labefactabitur , donec  
tota horribili rerum confusione & *Anarchia*  
corruerit.

Pudeat jam nonnullos hujus ævi Politicos : quantum illi desipiunt ! dum tractando  
de modis instaurandæ , firmandæ , amplifi-  
candæ Reipublicæ , Politici isti unius diei  
( ut Thomas Gallicorum nostri temporis O-  
ratorum facile Princeps , in Elogio Ducis  
Sullii inquit ) postquam omnia ad calculum  
sibi revocasse videntur , summam rei ac fe-  
licitatis publicæ , aut in quam maxima po-  
puli multitudine & connubiorum fæcundi-  
tate , aut in ingenti terra marique com-  
merciorum copia , aut in armorum fortiumque  
Exercituum robore , aut in laboriosissima  
vel solius agriculturæ industria , aut  
in perficiendis pulcherrimis utilissimisque  
artibus , deinde quo omnia tendunt in im-  
mensa divitiarum , opum , auri , argentique  
congesti abundantia collocant ; nihil vero  
de moribus ; silent , heu silent , de solis mo-  
ribus , quasi isti non essent omnis gubernationis  
anima , non essent principium & pri-  
ma causa omnis in Republica motus , non  
essent

essent vita & anima legum. Facite jam innumerabili refertam Populo & hominibus plus quam arborum foliis numerosiorem Gentem , Xerxeis eam firmate Exercitibus & Classibus , Mæniis arcibusque circumdate , locupletate eam & omnibus quæ Patria optima tellus , fluvii , montesque metallici possint parere , & confluentibus utraq; ex India opibus ; si in sacerdotio, populo, primoribus, Juventute, senibus , viris & fæminis mores improbi , corrupti , profligatique sint , quid jam Genti illi eveniet ? id quod Romanis , Atheniensibus, Lacedæmoniis , Carthaginensibus , quæ Republicæ tamdiu fortis & formidandæ , quamdiu bonis moribus & virtute stetere. Postquam vero tam incredibiles opes , aut his major avaritia , quam derisa à Philosophis & sensim sublata è Populo spes & expectatio futurorum in altera vita , postquam Epicureorum secta quæ nobiliorem partem Civitatis & Reipublicæ infecit , mores primorum Civium ac deinde Plebis fæde corrupisset , tum abjecta veteri majorum disciplinâ excussoque legum imperio, omnia in præceps & pessum apud eos ire , imperium ad occasum properare & vergere cœpit.

Erat quidem Republica bonis adhuc munita legibus , quarum numerus crescebat  
in-

Indies : sed quid quantumvis sanctissimis sapientissimisque legibus ibi Legislatores proficiunt, ubi Princeps & Magistratus bonis moribus Civium , ac conservandæ , ( unde iij velut suo è fonte effluunt ) Religioni , summa diligentia & severitate non invigilant ? Censura, castigatio & correctio indefessa morum, leges animat , legibus vim omnem tribuit. Ubi autem corrumpi universum sinuntur mores , ubi nempe injustitiae Judiciorum , privatorum avaritiae , effræni ambitioni, odiis civilibus , vindictæ , duellorumque furoribus , vi Potentiorum in debiliore , lasciviæ publicæ , adulteris & cinædis , patrimoniorum & bonorum decoctoriibus , ganeonibus , aleatoribus , mendacibus, perfidis & perjuris , alieni raptoribus , ærarii furibus , tyrannis in plebem , acediosis & absque ulla professione ac certo vivendi modo vagabundis erronibus , ac similibus sexcentis criminibus , ubi publicæ præsertim impietati omnium fonti criminum , continuo , solerter , magnaue vi & animo non obstatunt illi , quorum id officii partiumque est, mores pravos increbescere firmarique adeò sinunt , ut frustra deinde Legum , quas malis moribus everti sivere , auxilia opemque advocent. Mores enim fortiores sunt legibus.

Et

Et ut præstantissimus ille de Legum natura scriptor & Philosophus Montesquieu inquit: *longè esse probabilius, ubi boni sint mores, malas etiam Leges populis gravi damno non fore*, Leges autem vel optimas nullam allaturas salutem Reipublicæ, in qua mali jam prævaluere mores: non mores Legibus, sed Leges cedere moribus: vanæ quid Leges sine moribus? Quos si Principes & Magistratus negligent, multoque magis si ipsimet impietatis, contemptæ Religionis & dissolutorum morum exempla præbeant, populoque facem præferant, jam profecto in flagitorum sentinas & latrocinia, Regna, Imperia Respublicasque vertent, ac in certissimam perniciem exitiumque trahent.

Phocionis hic Atheniensium Principis saluberrima & sapientissima colloquia, non à minus probo, quam sapiente Auctore non multis ab hinc annis edita; Varburti celeberrimi Philosophi Angli eruditissimæ ac solidissimæ de nexu Religionis cum morali doctrina & politice, Dissertationes; pluresque alii præstantissimi hac de re Scriptores mihi toti describendi essent, qui omnem Regionum Gentiumque fortunam non in opibus, agricultura, commerciis, artibus, armis, proferendis Patriis finibus, subjiciendis Urbibus & Provinciis, sed in primis in

R

bonis

## 258 §. XIV. RESP. PERDITA IN QUA

bonis moribus conservandis , bonos autem mores , in unica basi veræ Religionis collocant.

Si jam itaque & nostræ bene cupimus , bene precamur , communi nostri omnium Parenti Patriæ , consentiendum nobis fatendumque omnino est , nihil ei esse præstabilitius magisque necessarium , nihil rebus nostris salubrius aut utilius , quam Rempublicam honestis , solida virtute præditis , ac bonorum morum laude conspicuis , quoad fieri potest , propagare , munire , & ornare Civibus , quales Christiana nostra efformat Religio . O utinam tam honestis , quales ista format Christianisq; viris , non fictis sed veris , Gens nostra abundet ! Nisi enim aliquis pervicacius penitusq; Christianam fidem deserat , & svave sanctumque ejus prorsus excutiat jugum , potest esse in ea homo fragilis vitiisque obnoxius , sed funditus sed desperanter malus esse non potest , nec sine emendationis spe , dum adhuc Christianus sit . Opportet eum jam penitus omni Religione carere , ei prorsus renunciasse , & vacuum re , falsoque nomen Christiani gerere , qui Christianis penitus renunciat virtutibus . Qui adhuc Christianæ Religionis sit , debet esse adhuc ejus sectator Virtutum ; aut saltem modis ab ea præscriptis servarique in ea solitis

litis ( si non datus est ut Paulus inquit in reprobum sensum ) debet vel postliminio ad amissam redire virtutem.

Est equidem hoc ævo unus quidam Philosophus , qui Christianam religionem ita furiose insectari solet , ut ne probitatem quidem in ea locum habere affirmet , qui in Christiano cætu , nullam , apud Ethnicos videt omnes celebratque virtutes. Nihilominus singulari quadam adversus Christianam Religionem rabie percitus , quam crebris contradictionibus secum non cohæret , quoties secum ipse pugnat ? hic enim ille contra Religionem nostram impudenter convicia vomit , alibi tandem super sidera effert sanctamque declamat. Liceat ejus farinæ Philosophis tam impia & temeraria spargenti , liceat & nobis locis aliis eidem Philosopho saniora docenti credere. Sed neque ille quidquid contra Christianos scribat , nec ejus sectatores , ulla unquam ratione id efficient , ut Christiana Religio in semet ipsa non sit implacabilis flagitorum hostis , non sit virtutum omnium fecundissima parens fonsque uberrimus.

Quis jam igitur sanæ rationis compos dubitet , melius longè fore societati humane , si potius tota ex honestis verisque Christianis , quam ex his honestorum Religionem

crepantibus conflaretur Philosophis? si, & utinam è talibus! qualis fuit magnus ille Joannes Zamoyski, quo nec honestiorem, Christianum, nec præstantiorē rem virtute Civem, nec majorem clarioremve Pacis & belli ministrum, nec fortiorē exercituum Imperatorem, nec celebriorem tam internorum, quam externorum hostium triumphatorem, nec simul veriorem ac sapientiorem Philosophum Polonia protulit. Unum selectum vitæ ejus ut sic dicam momentum ostendet satis, quantæ Religionis fuerit. Diem penne totum negotiis expediendisque literis, (quas magni Cancellarii supremique Ducis Exercituum munera, non potuerunt non exigere plurimas) discessurus ex arce Zamoscio Varsaviam ad Comitia Regni, laboriosissime impendit. Inclinata ad vesperum die, prodit comitante frequentissima amicorum & aulicorum caterva, rhedam ascensurus, cum repente gradu revocato, quasi quidam illi memoria excidisset, quod necessario illum adhuc expedire oportuerit, omnes ut aliquantum præstolentur, perhumaniter petit, ipse met propere redit suoque se abdit conclavi: cumque dimidiā ferme horam minime prodiret, domesticos cupido incessit, scrutandi per januæ forte rimam, quid tamdiu ageret: cernunt illum totum humi

humis passis manibus coram Deo prostratum. Perfacili negotio conjicere etiam num licet, quid pius Senator & Minister Regni tam ardentibus apud Deum precibus imploraret: quid inquam? nisi lumen, opem, faustumque & suum ad Comitia iter, & optimum Consiliorum successum. Potuitne talis Vir male Patriæ Principique consulere? Quærenti se, Deus adest, universasque vias ejus dirigit. Si jam permagnus numerus ingensque copia talium ut Zamoscius Philosophorum ac bonorum Christianorum Gentis nostræ suppeteret, pro his Philosophis honestorumque Religionis hominibus, itanres essent uti nunc sunt in Republica? hisne malis præsentibus conflictaretur Patria?

Inferamus jam inde, quod cum vera Religio, veræ Virtutis, principium & origo sit, cum emanantia ab impietate flagitia malique mores in natione quacunque jactis alte radicibus, quasi jam Populo in naturam versi, spem omnem perdere jubebant de statu Regnorum ac Rerumpublicarum in ruinam labentium, ut ab ea se se possint unquam erigere, certam itaque ac indubitatam hanc esse veritatem oportet, multo consultius esse, ac fortunatius socie-

262 §. XV. RATIO HONORIS: SALUTIS.

rati humanæ id eventurum , si è bonis honestisque Christianis potius , quam ex novæ de qua agimus Religionis honestis hominibus coalescat.

Huc ergo Principis , Senatus , Equestrisque Ordinis , in magnis Regni Comitiis Studia omnia , vires , contentiones curæque omnes , si felicem velint Rempublicam , convertendæ exerendæque sunt , ut sancta ac vera Religio , bonorum morum sola mater & altrix , magistra & norma , nihil ab impietate detrimenti patiatur.

§. XV.

*Continuatio. Rationes reliquæ duæ : propriæ Famæ , & salutis. Ubi & de Theisini duobus fontibus seu veris causis.*

**M**elius adhuc est , quod præcedenti Capite proposuimus , probum esse Christianum etiam temporariæ nostræ famæ , propriae existimationis causa . Virtus quidem necessario conciliat existimationem homini ; jam cum superius affirmarim , ( id quod verum est , ) etiam Theistas posse mortalibus pollere virtutibus , proinde ex illis , posse eos aliquam existimationem consequi , minime inferior , neque hac in parte quidquam

quam famæ eorum derogo. Sed cum Theistæ Virtutibus Christianis careant, nam ipsimet fidem, spem, charitatem, continentiam à lascivis voluptatibus, timorem Dei severe punientis, pænitentiam pro peccatis, humilitatem seu modestiam animi &c. omnino ut superfluas inutilesque rejiciunt, secure itaque & indubitate affirmo, Theistas, qui Christianis omnibus renuntiarint Virtutibus, quidquid de sua humana honestate prædicent, optimam, apud vere bonos, de se opinionem, & solidam boni nominis famam nequaquam merituros. Si hoc verum non est, calumniator sim.

Duo tamen hic prius consideranda sunt: *imo*: quibus modis homines è Christianis natis, Theistæ, ac propriarum Christianis Virtutum hostes, deveniunt. *2do*. Post eorum sive apertam sive occultam à Christiana Religione defectionem ac professionem Theismi, quid sequatur.

Examinemus primum, scilicet, *quibus modis homines, è Christianis natis, Theistæ deveniunt.*

Duplicem video in orbe nostro Christiano Theistarum, unde iij oriuntur, sementem: *imprimis superbiam mentis, deinde fadam vita licentiam.*

## 264 §. XV. RATIO HONORIS: SALUTIS.

Aliquos ergo ex iis , superbia , arrogantia , ingens de se ipsis opinio modestiæ & humilitati Christianæ contraria , paucis ut dicam , affectata Philosophiæ ostentatio , Theistas è Christianis efficit . Veterum , ut jam supra innuimus , Platonicorum , Stoicorum , Epicureorum , & recentium impiorum plerorumque Philosophorum scripta ac monumenta , illis familiaria sunt , ea legunt , ea mirantur . His tumidi , humilitatem Evangelii despiciunt . De illis dictum est , quod Paulus de sui temporis sapientibus Ethnicis dixerat : *prædicamus Christum Crucifixum , Gentibus stultitiam* . Fidem ergo nostram in Christum Crucifixum stultiæ superbi isti arguunt : Pro amore & gratissimo animo , quem Deo Servatori ac Redemptori humani generis debent , impie eidem convitantur ; ut ipse verbis Vatis posset conqueri , *pro eo ut diligenter me , detrahebant mibi* . Itaque simplicitas Christianæ fidei ejusque principia , ac præsertim mysteria modum captumque mentis humanæ excedentia , illis displicant . Putant suis nihil impervium , nihil impenetrabile esse debere ingenii . Flosculi ac grani naturam & vim minime comprehendunt ; nam si comprehenderent , flosculum & granum , quales Deus & natura producit , producerent : &

Deum

Deum Divinaque volunt isti comprehendere. Divina inquam omnia quæcunque eorum ob-  
jiciuntur intellectui , perinde ut pauca  
quædam quæ sensui subjiciuntur , terrestria,  
capere & definire se debere , & posse , ar-  
bitrantur. Quæ jam è Divinis non capi-  
unt , temere arroganterque refutant , deri-  
dent & rejiciunt. Et quamvis quoddam lon-  
gè superioris illis ingenium , verè omnino pro-  
tulerit : si Augustinus Deum ratione cape-  
re posset , Augustinus Deus esset : adeo Di-  
vina mysteria humanæ mentis vi superiora  
esse agnovit Augustinus & omnes cum eo  
Christiani Philosophi : tamen Theistis Phi-  
losophis nihil obstat , quin apud se statue-  
rint & consecrarint hoc quasi indubitatum  
principium: nihil esse credendum , quod ca-  
pi ratione non possit. Prima ergo sementis ,  
aut si mavis primus fons Theismi , est va-  
nissimorum ingeniorum superbia. Homines  
immemores sapientiæ & omnipotentiæ Di-  
vinæ , ea quæ ratione complecti nequeunt ,  
à supremo Deo , mente humana infinite su-  
periori , revelata , à Christianis sancte reve-  
renterque accepta , petulantissime ac pervi-  
caciter respnuunt. Hoc est itaque primum  
femen Theismi.

Attamen incomparabilis hisque major aliorum est numerus , quos non subtilior ulla ratiocinatio , sed solum simplex Christianæ disciplinæ odium , & inveterata liberioris vitæ licentia paulatim ad Theismum dederit. Conscientia imprimis identidem eos arguit & discruciat , ac illis , nefanda quæ agunt , improperat , monet ea esse contra Dei legem peccata , quæ pæna certa & æterna omnino mancat. Terrentur , perturbantur , sed in malo , cui assueti sunt , vim nullam depravatæ voluntati inferre volentes , obdurescunt. Quid jam cogitat ? quid consilii capit ? quid denique statuit , & à propria conscientiæ vapulans , & à Sacerdotibus amicisque Deum timentibus toties admonitus , emendarique pertinaciter detrectans , morum dissolutorum homuncio ? statuit apud se scilicet , excutiendum illi esse omnem scrupulum vanosque vitæ alterius timores ; declarat proinde & sustinet , omnia sacerdotum esse fabulas , & infantizæ præjudicia , frustraque futurorum metu perturbari & infici breves præsentis vitæ nostræ voluptates. Et hi sunt illi , hujus farinæ Theistæ , quos vulgo nuncupamus , *Libertini* , hominum sæpius ignorissimi at moribus depravatissimi , qui ita ut mox diximus , ratiocinantur. His proxime accedunt illi , qui absque

absque ullo rerum Divinarum Religionisque præmisso studio , vix primis labris literas humanas attigerint , impiorum sermones audiunt , vel infames Libellos cupiditatibus eorum nimium quantum blandientes , nulla præmuniti Religione , lectitant , ac tandem sine ullo discrimine jurantes in verba Magistri , quo magis impic , eo magis egregie sibi philosophari videntur .

Non agitur quidem istis magnopere de Mysteriorum assequenda penetrandaque sublimitate , nam parati essent isti vel difficiliora captu , quam de Deo Trino & uno , aut Eucharistia credere , dum modo eadem , quæ credere hæc jubet , Religio , iis omnem cynicorum lasciviam & luxuriam , alieni rapinam , calumnias , injurias omnemque in justitiam , & idgenus scelera impune permitteret . Hæc si Christiana fides illis omnino non gravatim concederet , certum est , quod longe pauciores Theistas fortisque Spiritus , quam nunc sint , Christiana numeraret societas . Nam credere tantum , & pro sola fide sine operibus , sine peccatorum fuga , sine laboriosa exercitatione virtutis , Cœlum consequi , fatuus qui nollet : sed cum de operibus Christianis cum fide conjugendis , cum de abstinentia ab omni peccato agitur , hoc difficile , hoc grave , hoc in

## 268 §. XV. RATIO HONORIS: SALUTIS.

in professione Christiana est illis intolerabile. En alteram veram causam & originem plurimorum Theistarum sectatorumque Religionis , quam vocant honestorum hominum.

Detectis jam duobus his veris Theismi fontibus : secundum , quod paulo superius dixi , attingendum nobis est : nempe , *quid siue post apertam , siue post occultam Theismi professionem sequatur ?* Nam siue è mentis humanæ superbia , siue è flagitiosorum licentia morum , ultima impietas seu *irreligio* nascitur , quæ jam flagitia , sclera crimina non ex hac impietate consequuntur & pullulant? certe si Theistarum dogmata & doctrinæ male audiunt , bonisque Christianis & sanæ rationis hominibus sunt abominabiles , inde præsertim id venit , quod verus propriusque earum effectus fructusque sit , sectatorum discipulorumque suorum mores corrumpere & dissolutissimos reddere. *Quemcunque enim talem in quacunque societate conspexeris , ejusque indecoram , tam de rebus sacris quam de moibus loquendi , & agendi rationem observarvis , cogitare mox & amico possis dicere , hic niger est , hunc tu Romane caveto , hic est secta ut vocant honestorum hominum , hic fortis*

fortis spiritus , hic Philosophus est. Ex eorum principiis de eorum actionibus , ex eorum pariter actionibus de eorum principiis recte inferimus.

Ingenio vero mirum quantum duntaxat hac in re pollent , possint ut facile quævis excusare flagitia , libidines , adulteria , mortalia odia , implacabilem vindictam , vim cuicunque illatam , mendacia & fraudes , ambitionem , etiam seditionem contra Principem , proditionem Patriæ , denique & maledicta adversus res sacras & Divinas. Cuius vel maximo idgenus criminis , horrorem demere , reperta semper facile in suæ Philosophiæ Principiis , apparente quapiam ratione , conantur : aut id quod agunt , esse crimen , præterquam apud superstitiones & fanaticos , omnino pernegant. Hodie enim summa rei apud plerosque Theistas est , persuadere ut velint humano generi , nihil esse peccatum , hominem nulla re in Deum peccare posse. Et hæ sunt naturales irreligiosorum hominum consequentiae ex eorum rite deductæ principiis : hæ sunt eorum doctrinæ : hæc nisi ille miretur aut non credit , cui eorum Libros legere fortasse non contigisset. Tales habet Apostolos novissima hæc honestorum hominum Religio : & isti aut superbi morum paedagogi , aut pecudum

270 §. XV. RATIO HONORIS: SALUTIS.

cudum more viventes , omniq[ue] scatentes turpitudine , nos docent virtutem. Nobis illi ( nescio unde & à quo missi,) prædicare audent : Leges , quas appellamus Divinas , hominum commenta esse ; nihil nos boni malive à morte manere ; tuto secureque ut illi vivunt , ita & nos posse vivere. O ingentem sæculi nominisque Christiani labem !

Ut jam itaque ad propositum redeamus , quærere jam liceat , an Christianus natus , sive ille per superbiam , sive per depravationem fæditatemque morum ( uti hactenus diximus ) eò impietatis devenit , ut sanctam Christianam Catholicam Religionem deseruerit , an inquam bonam apud bonos viros famam , solidamque existimationem meretur ? an non potius jus omne ad eam amisit ? Hæc enim sibi sunt majorem in modum contraria , decus integritatemque boni nominis conservare velle , & in talium colluvie sectaque misceri .

Qui jam ergo veræ è virtute existimationis est cupidus , cuius innatum est homini desiderium , qui bonæ famæ ut par est curam gerit præcipuam , ille & horum superbos spiritus , & istorum brutas ac infames libidines aversetur. Adhæreat Christianæ societati , iisque , qui Divinis se regi finunt

Legibus ,

Legibus qui Religioni se se toti ultro submit-tunt & obtemperant, apud quos Virtutes, sunt Virtutes , peccata , sunt omnino peccata.

Qui honore boni nominis cohonestari quærit , optatque ut Viri probi , sibi famam conciliet ; animadvertis id quæsto , quod in omni natione , in omnibus quæ sunt in or-be Sectis , etiam apud Mahumetanos & E-thnico , non concipiatur alia *idæa* , & no-tio honesti hominis , quam ejus , qui secun-dum Religionem vivit. Nequit esse apud Judæos , Turcas , Sinenses Vir ille hone-stus , qui Religione imprimis caruerit. Hæc est pervagata ac universalis omnium opinio Gentium , quod honestas & probitas nulla esse possit , sine cultu Divino. Non è Chri-stianis Seneca , qui asseruit , *bonum Virum concedas necesse est , summa esse pietatis in Deum.* Contra , impietas , licentia vitæ , in nulla qnotquot sunt Gente & Secta , apud nul-lum Judicio pollentem verumque Philoso-phum , cum honestate cohærere possunt nec cum illis convenire honestas.

Inde consequitur , quam frustra injuste-que, hi clam vel palam homines impii & o-mni vitiorum genere corruptissimi , homi-nes sine Religionis sensu , hi deceptores , gloriolæ duntaxat humanæ causa Virtutem mentiti , summa audacia nomine honestorum

utun-

272 §. XV. RATIO HONORIS: SALUTIS.

utuntur, ejusque turpiter dignitatem prostituunt. Clament illi propalam, *ego honestus sum*, perque suam honestatem jurent: parcamus illis, si è nascendi forte, opibus, aliquibusve meritis, sibi titulum honestorum tribuunt: at si hoc nomine opinionem quandam Virtutis querunt, fidem nullam merentur. Et reapse quamvis urbanitatis causa male hoc ab illis usurpatum vocabulum, homines silentio præterire sint soliti, malos tamen & improbos, esse honestos nemo bonorum fatebitur. Dolendum, quod hi honesti homines, vere honestis hominibus dum eorum nomen usurpant, maculam aliquam & contumeliam videantur inspergere.

Inde denique inferendum est, quod quandoquidem Gens nulla, Secta & societas nulla agnoscit cum esse honestum hominem, qui Religione destituitur, nec è Religione vivit, fas jam sit & in nostra societate Christiana, constanter affirmare, quod qui nomine Christianus sit, sua vero Religione spreta, ejus etiam Leges vivendi contemnit, nulla ratione potest vir esse honestus.

Dicere solemus, hunc Hebræum, hunc Turcam esse in sua Religione honestum, quomodo id satis intelligi possit, quî dicere licet?

Jiceat ? hunc Christianum honestum esse qui Religione Christiana , ejusque Virtutibus caret ? Deus bone ! ( suspirat Barradius ) Turcæne ? Mauri ? nos Christianos charitate , castitate & aliis moralibus virtutibus superent ?

Illud jam itaque quod principiō statui, iterum iterumque affirmo ! vin' in vita præsenti honesti hominis ornamentum & famam ? juxta Religionem ejusque Virtutis præcepta vivito ; secus nemo sacrum hunc ambiat titulum. Ergo jam vel ob ipsum bonum nomen conservandum in societate humana , quod hucusque asseruimus , præstabilior est Christiana probitas, & præferenda Philosophicæ isti honestati.

Quid jam tandem hoc loci proferam de salute æterna animæ ? Cui post mortem bono erit , humana isthac sine Religione honestas ? Nihil dum viverent non egerunt isti homines , ut honorarentur ab hominibus : atqui jam Christô Arbitrō & Judice receperunt mercedem suam. Habitus illis honor est saltem à suis similibus , celebraabantur , plaudebaturque iis , esse eos per honestos , sapientes , celebres , magnosque viros , esse amicorum optimos , fraudis , fallaciæque ignaros , justos , promissi tenacissimos.

S

Sed

Sed enim quod in altera vita operæ pretium habebunt hæ populares acclamations & laudes , quum : *Qui habitat in Cælis, irridebit eos, & Dominus subsanabit eos?* Cum inquam Deus , Supremus Judex & laudes eorum, & laudatos , & laudantes contemnet. Honorem, æstimationemque apud mortales, bonum esse insigne haud inficior , sed tu Domine minus illius imperire , atque adeo si tibi libet vel omnem in præsenti vita adime , dum non æternæ nos tecum gloriæ, jacturam facere patiaris.

Huic jam confirmandæ veritati pluribus insistere supervacaneum esset , solam nempe honestatem Christianam nobis à morte profuturam , ac in spem beatæ sempiternæque vitæ nos erigere. Hæc causa veris Christianis adeo certa , perspicua , evidensque est, nihil ut novi illis, si vel plurima hac de re dixerimus , accedere possit : Theistis vero hæc, & plura occinere , esset surdo narrare fabulam.

§. XVI.

*De Ecclesiasticorum Intolerantia. Excerpta  
ex Oratione de Mr. Seguier.*

**N**ihil jam mihi reliquum est ad præsens propositum, quam ut solenni illi ac frequentissimæ Philosophorum querimonie & accusationi respondeam : *homines imprimis ut inquiunt, Ecclesiasticos, ex eo, quod tolerantiae sint hostes infensissimi, perturbatores esse pacis publicæ.* Sed quid agunt hi Ecclesiastici ? peccant ne ? dum provocati impiis contra Religionem istorum conviciis, sermonibus, Scriptis, furiosis conatibus, se se pro suo opponunt officio ? an fortasse Religionem impiis argumentis impetere, sarcasmis lacestere, ironiâ, & jocis, in risum vertere istis licet Philosophis ? nobis responderemus, ut par justumque est, nefas erit ? *Durum me dicas saviumque ? videlicet in te, nobis nihil ? tibi in Deo tantum licet ? Quid ? an dicere non possimus, tibi soli tacebunt homines, & cum ceteros irriseris, à nullo confutaberis ? Job. 3. aut illud Isaiae : *ve qui spernis, nonne ipse sperneras ? & cum fatigatus disieris contemnere, contemneris.* Quod si jam Religionem, contra eos qui illam adoriantur, defendere, intolleran-*

376 §. XVI. SACERD: INTOLERANT:

lerantia Ecclesiasticorum est? quæ igitur erunt eorum partes, quod munus, quod officium? Tolerantia hostium Religionis dominantis, quæ illis Legibus Patiis publicisque asserta est, & omnia iis jura quomodo docunque concessa, ut ut sartatecta illis pace nostra relinquantur, consequiturne inde, irreligiosis hominibus potestatem aliquam aut jus esse concessum, verbis, scriptis, factis, aggrediendi & impugnandi Dominantem Religionem Christianam Catholicam? Qua in re si istorum retundatur audacia, mox apud eos universum Sacerdotale genus ut intolerantissimum declamatus, accusatur, arguitur.

Sed perlibenter jam hoc loco ostendam, impietatem & *irreligionem* publicam, non solis Sacerdotibus esse offendiculo & scandalo, non solos Sacerdotes intolerantes esse, non solos optare Sacerdotes, eam è Regnis & Rebuspublicis exturbari, extrudi, ac ejici, bonus quilibet & sapiens Christianus, bonus quilibet Politicus, bonus quilibet Civis Patriæ, Judex, Magistratus, rectus Principis Consiliarius, ipseque Dei cultor prudensque Princeps, idem omnino cum sacerdotibus sentiunt, idem agunt, & quidem non è Religionis tantum, verum etiam è maximis Regni & Republicæ rationibus.

Seguier,

*Seguier*, clarissimus Vir præcipuæque in Regno Galliæ dignitatis & existimationis, supremus Advocatus Causarum Regius in Curia Parisiensi, digno veteribus Christianis Philosophis animo & ardore, digna Augusti ætate, Senatu Populoque Romano eloquentia, rem Religionis nuperrimè in Augusto Tribunalis Parisiensi egit; cuius Oratio, hic mihi tota, si non productior legentibus hoc loci videcietur, describenda foret: è cuius tamen non modica parte latinè versa, quivis facile, quod mox dixinus, animadvertiset, quam nedum Ecclesiastici, sed & præstantiores Philosophi, & Principum Magistratus optimi, intolerantissimi *irreligionis* sint; quivis præterea condiscet brevibus etiam illa, quæ nos hucusque non attigimus, quam horrida & abominanda sint, nonnullorum impiorum Philosophorum dogmata, eorumque pessimos in re Civili effectus, & quam denique nedum Sacris, sed & Regnis, Rebuspublicis, Civitati, ac societati humanæ, Regibus, Principibus, omnique legitimæ potestati, certam perniciem & evidens comminunt exitium. Non Antistes itaque Thiafra conspicuus è sacro suggestu, sed Regius Advocatus, impiorum scriptorum intolerans, ut opera eorum multentur Decreto infamie, flammisque expientur, perorat:

S 3

Quous-

„ Quousque tandem abutere patientia  
 „ nostra , Romanus exclamarat Orator , eo  
 „ tempore , quo Respublica exposita vehe-  
 „ menti factionis jam jam erupturæ furori ,  
 „ in conjuratorum numero illustriores ple-  
 „ rosque recensebat Cives , infimæ plebi ab-  
 „ jectaque permistos . Non possumusne &  
 „ nos hodie his ipsis uti verbis ad Scripto-  
 „ res hujus saeculi , in hac quadam eos in-  
 „ ter initi similitudine faderis , quo quasi  
 „ nexu quopiam in unum stringuntur , &  
 „ conjurâsse videntur , impii fere omnes omnis  
 „ generis contra Religionem Imperiumque  
 „ Authores . Id sane nos jam nobis ipsis cæ-  
 „ lare non possumus . Societas hæc flagitiosa  
 „ suum ipsamet secretum prodidit : scopum  
 „ ejus præcipuum esse , ut firmatam inter  
 „ omnes Imperii ordines rumpat convellat-  
 „ que concordiam , quæ compacta & conser-  
 „ vata hucusque sacro quodam & indissolu-  
 „ bili vinculo , inter doctrinam Ecclesiæ ,  
 „ ac inter Leges Politicas substituit .

„ Ita sane P. C. post extirpatas Hære-  
 „ ses , quæ Ecclesiæ convulserant pacem ,  
 „ vidimus doctrinam prodire è tenebris , an-  
 „ tiquis longè damnoiore ac periculosio-  
 „ rem erroribus , toties , quoties pullulasset ,  
 „ extinctis . Nata est in medio nostri secta  
 „ audax ac impia : quæ sapientiam falsam  
 „ Philo-

„ Philosophiæ cohonestavit nomine. Specio-  
„ so hoc titulo persuadere nobis conata est,  
„ esse eam quandam omnium scientiarum  
„ scaturiginem & fontem. Sectatores ejus  
„ arrogarunt sibi munus Præceptorum hu-  
„ mani generis.

„ *Libertas cognitandi!* hæc est eorum  
„ tessera , hic clamor , quo isti universum  
„ personant implentque terrarum orbem. U-  
„ na manu tentarunt labefactare Thronum,  
„ aras evertere altera. Mens & propositum  
„ eorum erat, Divinam extinguere fidem, ac  
„ in aliam priorsus viam avocare hominum  
„ animos ab institutionibus Religiosis & Ci-  
„ vilibus; & rerum, quam moliebantur, mu-  
„ tatio , illis propemodum è sententia cessit.  
„ Discipulorum auctus ingens numerus, opi-  
„ niones & principia eorum ubique pervul-  
„ gata. Regna, & Republicæ , sua vetera  
„ titubare fundamenta senserunt. Nationes  
„ attonitæ , dum animadvertisunt , quidquid  
„ in Religione, moribus, & legibus sanctius  
„ crederent, fere obrutum , subversum, &  
„ ad incitas redactum esse , percontari ac  
„ querere à se ipsis cæperunt , quonam in-  
„ felici fato eò devenissent, ut tantopcre à  
„ semetipsis different?

„ Religio proculdubio prima est , cui  
 „ impii isti , rerum novarum auctores, fu-  
 „ nestissimos mortalesq[ue] infligere conati sunt  
 „ iactus. Rabie quadam inciti furentesque ,  
 „ evertere funditus majorum Sacra , corrump-  
 „ pere morum innocentiam , extinguere in  
 „ animis omnem virtutis sensum aggressi-  
 „ sunt. Illi , qui ob praestantiora ceteris  
 „ ingenia , magis fuissent idonei ad collu-  
 „ strandos ejusdem secum ævi mortales, Du-  
 „ ces Incredulorum devenerunt. Vexillo  
 „ sublato , datoque rebellionis signo , excus-  
 „ so omni officio , atque superbo illo , qui  
 „ nulli subesse velit , elati spiritu , adjice-  
 „ re se plurimum ad celebritatem sui nomi-  
 „ minis hac ratione agendi crediderunt. Mul-  
 „ titudo quoque eos secuta obscurorum Scri-  
 „ ptorum , cum possent & illi quadam spe-  
 „ cie ingenii sibi famam aucupari , cum ea-  
 „ dem in medium profilierunt audacia : ac  
 „ existimationem suam rei nulli alii debue-  
 „ runt , quam effræni omnia scribendi li-  
 „ centiae , quam funesto cuidam illico in  
 „ suis Libris , in quibus insana Pyrrhonio-  
 „ rum somnia innovârunt.

„ Alii jam doctrinam impietatis , &  
 „ quidquid Religioni contrarium sit , pa-  
 „ lam , apertè , impudenter , in suis operibus  
 „ professi sunt. Alii candem impietatem seu  
 „ vulgo

„ vulgo Irreligionem obscaenis suis & ad vo-  
 „ luptatem emollientibus immiscuere Scri-  
 „ ptis, quo cam facilius Juvenum insinua-  
 „ rent animis: lascivisque eos fascinârunt  
 „ picturis, ut his eorum impietatem auge-  
 „ rent flagitiis, quorum latenti vencno jam  
 „ teneros Adolescentum titillaverunt sensus.  
 „ Corda intaminata, animæ puræ siverunt  
 „ se attrahi insidiosis fallacibusque consiliis,  
 „ quæ eis honestas ipsa dictasse videbatur.  
 „ Menti illi recti consciæ, simplicitatique  
 „ naturæ Juvenilis, facile illudi potuit,  
 „ principiis tanto periculosioribus, quanto  
 „ magis illi tendere visa sunt ad felicitatem  
 „ humani generis.

„ Scriptores impii, cum gravitate illa  
 „ Philosophica, conjunxerunt auctoritatem  
 „ quandam, modumque ordine & via do-  
 „ cendi, quam vocant methodum, atque  
 „ monita, mentem ad omnia reflectendi.  
 „ Scripta eorum plana, facilia, lectu ju-  
 „ cunda hominibus frivolis, & præter su-  
 „ perficiem inanibus: perplexa autem &  
 „ implicatissima quæstionibus & dubiis, quæ  
 „ simplices rudesque non possint dissolvere:  
 „ sed denique irreligiosi joci, facetiae, &  
 „ ridicula de rebus sacris maledicta, pleros-  
 „ que pertraxere, quibus falsa ratiocinatio-  
 „ ne nihil persuaderent.

28 : §. XVI. SACERD: INTOLERANT:

„ Secta hæc damnosa, omnes modos ad-  
„ hibuit, & ut corruptelam morum propa-  
„ garet, omnes ut ita dicamus fontes pu-  
„ blicos veneno infecit. Eloquentia, Poe-  
„ sis, Historia, fictæ sub nomine Romanen-  
„ sium narrationes, ipsa usque Lexica, in-  
„ fecta sunt omnia. Theatra ipsa majorem  
„ vim pestiferis his addidere principiis, quo-  
„ rum toxicum tanto vehementius agit in  
„ in universæ Nationis animos, quanto ma-  
„ jor spectatorum copia, quanto vividior  
„ in histrione & in iis qui personam agunt,  
„ vitiæ imitatio. Denique Religio tot fere  
„ suos hostes recenset, quod falsos Respu-  
„ blica Literaria gloriatur se produxisse Phi-  
„ losophos. Tremant oportet Principes, dum  
„ in finu Nationis tolerant inflammatam fu-  
„ rore perdendæ Religionis Incredulorum  
„ Sectam, quæ nihil aliud reapse quærerit,  
„ quam ut sub obtentu doctrinæ, qua lucem  
„ se humano generi afferre jactitat, armet  
„ Populos contra Principes, & ad sedicio-  
„ nem contra legitimam potestatem incen-  
„ dat.

„ Non ignoramus quanto exponamus nos  
„ metipso odio, cum audacem perinde ac  
„ numerosam perditissimorum hominum con-  
„ jurationem, Magistratui deferre audemus.  
„ Sed quidquid demum offeratur periculi  
„ iis

„ iis, quicunque se palā contra hos declarant  
 „ Apostolos ; qui tolerantiam tantopere præ-  
 „ dicare solent , ipsi hominum intoleran-  
 „ tissimi , quoties quis se se impiis opinio-  
 „ nibus eorum opponit : nos nihilominus  
 „ partes muneris nobis impositi adimplebi-  
 „ mus imperterritō & intrepido animo, quem  
 „ inspirare solet defensio veri & amor boni  
 „ publici. Nefas est nobis silere , ad hanc  
 „ incredibilem diluvii instar Scriptorum  
 „ multitudinem , quibus irreligio contem-  
 „ ptusque Legum à tot annis orbem univer-  
 „ sum inundat & obruit.

„ Occupahamur colligendis id genus fu-  
 „ nestissimis eorum lucubrationibus, cum edo-  
 „ cemur , quod iidem flagitosi Libelli , ju-  
 „ stam in se indignationem congregati Pa-  
 „ risiis Cleri Gallici, converterint. Rex ipse-  
 „ met nos commonuit , Episcopos sui Re-  
 „ gni deposuisse ante Solium querimonias  
 „ & què fortes, ac modestia plenas , contra  
 „ audaciam irreligiosorum Scriptorum. Di-  
 „ gna laude proculdubio vobis videbitur hæc,  
 „ quam offensa præstolabatur Religio , pri-  
 „ morum Ecclesiæ Ministrorum contentio &  
 „ ardor ; id quod iis bene prosperèque ces-  
 „ surum Regia respondet pietas. Minime  
 „ proinde id vobis admirationi sit oportet ,  
 „ quod & nos ad hoc templum justitiae , eas-  
 „ dem

„ dem afferamus querelas , vota eadem fa-  
 „ ciamus. Ministri , in quorum manu au-  
 „ storitas Ecclesiæ deposita est , & Magi-  
 „ stratus quibus Princeps suam itidem au-  
 „ storitatem concredidit , debent secum cer-  
 „ tare ardentî studiô & vigilantiâ , quoties  
 „ de conservanda farratæta Religione agi-  
 „ tur , quæ nobis primum carissimumque bo-  
 „ norum omnium , bonum est ; Et cælestes  
 „ & Patria Leges tam Magistratibus quam  
 „ Sacris Präfulibus commiserunt honorifi-  
 „ centissimum munus & curam illius defen-  
 „ dendæ , & adigendi ejus hostes , ut eam  
 „ tantum revereantur , quantum in ea boni  
 „ propter veros Ecclesiæ filios situm est.  
 „ Id officii eo strictius Magistratibus impo-  
 „ situm est , quod impietas non minus ag-  
 „ greditur Principem quam Ecclesiam , quod  
 „ eversum eant non minus Civilem quam  
 „ sacrum Ordinem Machinatores improbis-  
 „ simi .

„ Nemo , nisi homines corruptissimis  
 „ moribus , qui possint scribere & se se eri-  
 „ gere contra ea principia , quæ non alio  
 „ tendunt , quam ad reprimendam flagitio-  
 „ rum vim & insolentiam . Sola manus sacri-  
 „ lega , quæ diruere ac violare ausit valla  
 „ & repagula , à Latoribus Legum inter-  
 „ impietatem & spiritum hominis , inter  
 „ virtu-

„ virtutem & crimen , inter bonos pravos-  
 „ que mores posita , scelerique objecta . Ne-  
 „ mo nisi hostis sit hominum , qui denegare  
 „ possit actionibus nostris bonitatem vel ma-  
 „ litiam earum moralem , virtuti tollere ha-  
 „ sim eam , quæ duntaxat in spe vita fu-  
 „ turæ consistit , malis omnem timorem adi-  
 „ mere , quibus hic necessario imprimitur à  
 „ terribili rerum post mortem securarum  
 „ notione . Et quot sunt crimina ? quæ di-  
 „ ligentia & severitas Tribunalium vocare  
 „ in Judicium non possit ? Quot crimina ,  
 „ quæ nulla potestas , nulla coercere aucto-  
 „ ritas , nec illis occurrere valent ? quot  
 „ crimina , quæ constitutam in Legibus hu-  
 „ manis nullam habent pænam ? si eam non  
 „ vereantur , quam in altera vita consequi  
 „ scelera necesse est : quam quidem punitio-  
 „ nem criminum etiam Philosophis Ethni-  
 „ cis dictasse videtur sensus quidam interior,  
 „ à Religione naturali inseparabilis , & quam  
 „ secreta quædam & continua revelatio ani-  
 „ mo humano detexit .

„ , Dum hæc auscultatis , non difficul-  
 „ ter jam in memoriam revocabitis eos ef-  
 „ fectus , quos Christiana Religio inter o-  
 „ mnes produxit Populos quicunque tam fe-  
 „ lices fuerint , ut oculos ad lumen fidei a-  
 „ peruerint . Quod si id præterea adjunga-  
 „ , mus

„ mus , quam Sancta hæc Religio internæ  
 „ constitutionis Regiminisque nostri partem  
 „ faciat omnino præcipuam , quam ejus Le-  
 „ ges suos in statu Civili producant Civiles  
 „ effectus , quam illa suis Juribus Privile-  
 „ giis & patrimonio apud nos gaudeat, quam  
 „ nexu quodam stricto ubique coaluerit Chri-  
 „ stianus cum Cive ; fateri jam omnino de-  
 „ bebimus , quod nemo possit Religionem  
 „ impugnare & aggredi , quin idem publi-  
 „ cam perturbet convellatque tranquillita-  
 „ tem & ordinem, quin felicitati Populorum  
 „ deroget , sitque majorem in modum Ge-  
 „ neri humono injurius , uno verbo quin  
 „ principia politicæ constitutionis immutet:  
 „ inde manat quod impiæ auctores doctrinæ  
 „ se reos læsæ Divinæ Majestatis reddant & ,  
 „ quod hostis Dei , hostis sit quoque homi-  
 „ nis & universæ societatis humanæ .

Perlubenter totius elegantissimæ hujus  
 orationis in Latinam , versionem susciperem ,  
 sed quod id & nimis fortasse longum legen-  
 tibus videretur , & quod quantum attinet  
 ad meum propositum , vel in hac prima  
 præstantissimæ hujus orationis à me latine  
 explicata parte , satis jam superque eluceat ,  
 à prosequendo hoc opere vel invitus manum  
 retraho . Non possum tamen me continere ,  
 quin

quin aliqua vel brevibus ex ea excerpam,  
quæ leguntur inferius.

„ Fæminæ ipsæ ( inquit ) initiantur im-  
„ buuntque his impietatis & Scepticorum  
„ misteriis ; ac neglectis , quæ sunt propria  
„ sexui earum officiis , & ad quæ solæ illæ  
„ idoneæ sunt , in legendis ac meditandis  
„ minutis idgenus pestiferisque opusculis vi-  
„ tam transfigunt otiosam. - - - Vix lo-  
„ cus aliquis ab hac contagione immunis ,  
„ quæ ad instar torrentis per Provincias o-  
„ mnes diffunditur , ac usque ad opificinas  
„ Artificum , usque ad plebis infimæ mapa-  
„ lia penetrat. Parum abest , ut jam ni-  
„ hil super sit fidei , nihil Religionis ,  
„ nihil morum , quorum innocentia pri-  
„ mitiva fere deperiit. Flammeus qui-  
„ dam urensque impietatis halitus exsic-  
„ cavit consumpsitque virtutem. Populus  
„ erat pauper , sed non absque solatio: nunc  
„ æquè sub laborum onere , ac sub inspira-  
„ tis ab impietate de Religione dubiis , mi-  
„ ser undequaque succumbit. Spe antea me-  
„ lioris vitæ suas solitus lenire ærumnas ,  
„ nunc & calamitatibus suæ conditionis op-  
„ primitur , & nullum malorum suorum ,  
„ præter mortem & nihilum , finem pro-  
„ spicit.

Majorem jam partem Orationis hujus, Librorum septem impiorum quoddam compendium occupat, quorum Philosophicæ doctrinæ & opiniones de Deo, de homine, de moribus, probant satis, quod cum Cicerone dixeramus principiō, nihil tam absurdè dici posse, nihil tam nefandum, quod ab aliquo Philosopherum non dicatur. Sed hæc Philosophos, qui nati sint Christiani, dicere, hæc eos docentes audire & legere, religiosus quidam horror incedat animum, necesse est. Unius M. Mirabaud Secretarii perpetui Academiæ quadraginta Virorum, quæ ex ejus Libro: *sistema naturæ &c.* nostrarū hujus sæculi Cicero Christianus excerpit, dogmata quædam pauca sufficient: quæ nos brevioribus quod fieri potest verbis complectimur.

„ Materia ( docet Mirabaud ) est æternæ, & necessariæ est. Motus, in ejus essentia est, - - - Movet se vi & efficacia propria, non intelligentia, sed necessitate æternæ materiæ inhærente movetur - - - „ Homo est ens pure physicum, ex seipso formatum, productio naturæ, ut alia omnina. Motus materiæ, illum fecit nasci. „ Differentia hominis & belluarum, in ipsis consistit organis. Gratis fingi speciem humam ex primo homine & prima fæmina

„ à Dco

„ à Deo creatis descendere : habemus ali-  
 „ quas à natura ideas, Divinitatis nullam ,  
 „ creationis nullam : his uti vocabulis , est  
 „ ignorare vim potentiam & efficaciam na-  
 „ turæ , est nescire , quomodo illa potuit  
 „ produxisse hominem. - - - Leges necessa-  
 „ riæ quæ nos nasci feceré , faciunt nos re-  
 „ verti in finum naturæ , & iterum nos sub-  
 „ novis producent formis. - - -

An jam in unum collecta & coalita A-  
 theorum veterum recentiumque malitia , po-  
 test his quid pejus evomere ? Quæ naturæ  
 isti atribuunt , hæc in Deo vivo & vero  
 agnoscere, quid isti difficultatis habent? Dei-  
 ne illi duntaxat nomen tollere ? & naturæ,  
 aut materiæ , aut necessitatis nomen substi-  
 tuere, insani contendant ? Ita belle nostri  
 sæculi Christiani nati Philosophi !

„ Libertatem humanam , ( cuius adeo  
 „ sibi est homo conscientia ) Mirabaud sustulit,  
 „ & ejus loco fati vim rerum humanarum  
 „ præsidem statuit : omnes itaque actiones  
 „ nostras fato esse subjectas , necessitatem  
 „ fatalem esse, quæ regit ac movet perinde  
 „ mundum Physicum ac moralem , quæ im-  
 „ pellit fataliter liberas inter bonum &  
 „ malum hominum voluntates , ut cogente  
 „ fato , tanquam navigans violento abreptus  
 „ torrente , rapiantur & devorantur quo

T

, nollent.

290 §. XVI. SAGERD: INTOLERANT:

,, nollent. - - - - Interea desiderium præ-  
,, sentis felicitatis propriæ est prima causa  
,, movens actionum omnium humanarum.  
,, Vitium proinde seu peccatum hominis nul-  
,, lum est, nisi id, quod se præsenti hominis  
,, felicitati opponit. Virtus quoque in ho-  
,, mine nulla est alia, nisi ea, quæ præsen-  
,, ti hominis felicitati constanter est utilis.  
,, Homo agere non potest, nisi è sua utili-  
,, tate: Injustum est igitur exigere ab ho-  
,, mine, ut virtutem sc̄tetur, si cum vir-  
,, tute se se in præsens redderet infelicem:  
,, quando vitium illum nunc reddit felicem,  
,, vitium seu peccatum homo amet, oportet.  
,, Et cum omnia ex opinione pendeant, prin-  
,, cipium mox dictum debet esse basis mo-  
,, rum, educationis, politices, Legumquo-  
,, ferendarum. - - - - Immortalitas animæ,  
,, Fabula chimerae similis. Insipiens dogma  
,, vitæ alterius, homines sanc præpedit, ne  
,, procuranda vera felicitate occupentur, ne  
,, suas utiles Institutiones perficiant, suas  
,, Leges, suos mores, suas scientias. Error  
,, hic reliquis damnosior est, qui genus in-  
,, fecere humanum. - - - - Mori, est esse  
,, desinere. Hoc momentum, entheo quodam  
,, afflatis sp̄em, superstitionis formidinem af-  
,, fert. Confirmatus ratione animus non ti-  
,, met mortem, quæ ei sensum omnem cri-  
,, piet;

„ piet ; imo eam etiam prævenire , juris il-  
 „ lius est. Natura sibi necem inferre jubet,  
 „ cum ignominia , indigentia , amicorum  
 „ perfidia , corrupta uxoris fides , liberi in-  
 „ grati , cupiditas , quæ optato potiri non pos-  
 „ sit , ærumna , tristitia , melancholia , de-  
 „ speratio , causæ sunt legitimæ renuntian-  
 „ di vitæ. Tum pugio consolator præcipuus.  
 „ - - - Idea Dei Vindicis & terribilis ,  
 „ vitæ futuræ , felicitatis differentis ab hac ,  
 „ qua nunc fruimur , vera est origo malo-  
 „ rum hominis. Mirabaud expreſſe perne-  
 „ gat obligationes & officia hominis à Deo  
 „ originem ducere , ad Divinitatem referri.  
 „ - - - Tyrannis ipſis Religio utilis. - -  
 „ - - Errore hoc usi ſunt ad imponendum  
 „ hominibus jugum , & ut eos è liberis in-  
 „ mancipia , ſervos , & viſtimas ſuæ ambitio-  
 „ nis verterent. - - - Ignorantiæ naturæ  
 „ liberaꝝ , debentur hæ potestates incognitæ ,  
 „ ſub quibus genus humanum à tot ſæculis  
 „ contremiſcit. &c. &c.

Ex his jam luce clarius patet , an prin-  
 cipio orationis Pericles noster de impiis Phi-  
 losophis verè illud protulerit : *una manu  
 tentarunt labefactare Thronum , aras ever-  
 tere altera.*

291 §. XVI. SACERD: INTOLERANT:

Opinor jam Ecclesiasticorum nullum, hoc religioso Philosopho & sapiente oratore, esse *intolerantiorē* impietatis. Sunt & innumeri illi consimiles, & boni principum Ministri ac confiliarii, & ipsimet pii Principes, & Senatores, & Magistratus, & illustres Cives orthodoxi Christiani, qui e-jusdem prorsus sunt cum hoc præstantissimo viro sententia<sup>e</sup> zeli & ardoris contra impios. Æque proinde ac sacerdotes invidiam & intolerantium accusationem apud istos merentur Philosophos, quod nempe sint omnes *perturbatores pacis publicæ*. Ac si quis ingenti ardere flamma domum noctu conspiciens, alta & contentissima voce clamet, incendium! incendium! perturbator sit quietis, otii, & tranquillitatis publicæ.

Quod jam ad rem nostram præcipue attinet, satis vel in hac excellentis orationis parte vidimus, id quod toto hoc libello adolescentibus præsertim ob oculos ponimus, ad quem scilicet impietatis apicem isti pertigere Philosophi, Theistæ, honestorum religionis homines, si quid jam absurdius perniciosius juxta ac sceleratius contra Deum, contra virtutem & mores, contra sanam Philosophiam & politican, contra Reges Principes & Magistratus, excogitari & dici potest, quam hi dicant doceantque Philosophi;

EXCERPTA EX ORAT. SEGUIER. 293

sophi ; si jam denique tolerari eorum impietas & *irreligio* in imperiis Regnis Rebus-publicis & Civitatibus debeat ? si tolerantia eorum bono generis humani conveniat ?

§. XVII.

*Conclusio.*

**A** Dolescentibus imprimis , tertio ætatis eorum elabente , aut quarto ineunte lustro , cogitata hæc legi , aut prælegi per-optarem . Inferior ætas nondum fortasse his undequaque matura videri posset : in decursu quarti lustri , jam & solidiora & apertiora ingenia : & juvenes ex educatione in liberius vitæ genus prodituri , magis antidoto seu remedio id genus , contra pestem venenumque sæculi egere , satis intelliguntur .

Quod jam vero principium scopusque fuit hujus nostræ , de Religione plerorumque Philosophorū & hominū , honestorū , juvenuti præsertim sacræ lucubrationis , eadem esse illius peroratio : quod videlicet tam ob *maximum bonum & nostrum & societatis beatitudinem* , quam ob *temporariam boni nominis famaque nostræ rationem* , imprimis autem ob *eternam felicitatem nostram* , longè antescienda sit humanæ honestati Christianæ

honestas. Et quamobrem à nomine Christi Dei & Servatoris nostri , qui nos sua morte redemit , pudeat nos nuncupari Christianos Catholicos ? quamobrem jucundius nobis sit , honestos appellari homines , potius quam Christianos honestos ?

Contra præstantissimum hunc honesti Viri Christiani titulum , quid valeant ? quidve illi comparentur , nova hæc , identidem à falsis malisque Christianis excogitata , & in semet falsa omnino nomina ? Appellitant se illi *fortes spiritus seu animos seu ingenia* , sed quam id manifeste falsum est ! Unde enim *fortes* ? Si fortasse ideo , quod , ut illi ipsi jactitant , rumpant masculine & viriliter omnes Religionis nexus & vincula , quod magno animo se se exuant puerilibus ut a- junct præjudiciis , quod Revelationem & fidem Divinorum mysteriorum rejiciant , quod tollant leges promissa & comminationes Di- vinas , quod impugnant Scripturam , Evan- gelium & Ecclesiam ? at ideone sunt illi fortis spiritus , quod Deo & hominibus in- dicant bellum ? Non est ista vis & robor spiritus , sed nuncupatione utendo propria , est quædam potius ingeniorum amentia : & dementes sunt robusti & fortis , sed sunt semper dementes . An illi putant prævalitu- ram eorum vim contra fundatam firmatam-

que

que Religionem à Deo , seque opus Christi  
Dei everfuros ? O temeritatem ! o insaniam !

Cogitemus potius , quid debilius , quid  
miserabilius sit *fortibus* his animis , qui id  
nullo modo efficere , nec id assequi possunt ,  
ut suam Rationem , (in cognoscendis vel aspe-  
ctabilis naturæ rebus tam circumscriptam  
tenebrisque offusam , jam vero ad concipiendias  
res æternas tam hebetem debilemque ,  
iamen Deo rebellem,) in officio contineant,  
coment , eamque cogant , uti æquum est , ut  
se auctoritati Revelationis & legis Divinæ  
subjiciat ? Nequeunt itidem snos animi im-  
moderatos motus , libidines , ingentem de se  
ipsis opinionem & superbiam edomare ac  
comprimere , quæ eos in impietatis & ruinæ  
præcipitium tanquam sua vilia mancipia per-  
trahunt. En illos , si Diis placet , fortæ  
spiritus.

Nuncupant se *Theistes* , *Deistas* à Dei  
romine ; quanta falsitas , & quam indigna  
Livi , quod contaminant , nominis profanatio ! tollendo siquidem omnem Divinis  
Igibus obedientiam , timorem Dei . Prævi-  
dentiā , justitiam Divinæ mercedis & pa-  
nia , tamque eorum doctrinis , quam vite  
exemplis , divina violando præcepta , à Deo  
n illi veniunt ? à Deo nomen derivare non  
veniunt ?

## CONCLUSIO.

Assumunt *Philosophorum* nomen , & hoc quidem perquam falso : quid enim sana , Philosophia indignius , quid rationi est minus conforme , quid societati humanæ perniciens ? quam perrumpere , & è genere humano tollere sanctissimos omnes nexus & Religionis officia ? quam ad omnem licentiam & occulta præsertim flagitia , sublato omnibus religioso metu , fractisque repagulis omnibus , ostium aperire ? Pulchrum omnino , & longè præstantissimum est *Philosophorum* nomen , saluberrima , utilissima humano generi , excellentissima res est *Philosophia* ; est cur principes ipsi regnum domini ambiantur *Philosophorum* nomen , illudque principatibus præferant : amate diligite deperite & nomen & rem & gloriam *Philosophorum* egregii & ad magna nati Juvenes ! utinam gens tota deveniat *Philosophorum* Patria : sed videte sollicite , ut Paulus Apostolus monet , *videte , ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam , secundum traditionem hominum & clementa mundi , & non secundum Christum Coloss. 11. , sed in piorum *Philosophorum* notam perhorrescite , fugite , detestemini.*

Nuncupari saepius amant , *humanitatem , generis humani amici :* insignis deceptio ! causa enim humano generi esse mali pejors , detri-

detrimentique non possunt , quam cum homines à Divinis Legibus , à Divinorum iudiciorum timore exemptos liberosque declarant , quam cum vera peccata non esse peccata docent , quam cum ab omni obligatione Religionis conscientiam cujusque absolvunt : possuntne vel maximi hostes humani generis plus illi esse finestri & noxii ?

Appellitant se *naturalis Religionis*: falsum id quoque evidentissimè est : cui enim , certissime , evidenter , ac indubitate non constat , quam hæc ipsa plurimum corrupta natura , tot sacerdorum ante Christum intervallo , ad oblivionem sui Conditoris Dei , ad adorandam ridiculorum Deorum multitudinem , totum humanum induxit & præcipitavit genus ? & revera hæc nostra natura debilis nimium , & ex semet in malum prona , potius ad effrenatam præcipitemque vivendi licentiam , & omne flagitiorum genus , quam ad veræ virtutis studium ducit protruditque hominem : & hæ sunt , naturæ absque Religionis lumine sibimet relictæ , veræ proprietates & partes , cæcitas intellectus quo ad res Divinas , & prona proclivisque ad malum propensio . Talis quidem *naturæ Religionis* esse plerosque Philosophos sane nemo inficiabitur .

Usurpant denique *Religionis honestorum hominum* præstantem titulum : quam id quoque falso ! quam enim hæc eorum Religio in superficie duntaxat & colore virtutis universa consistat , satis hucusque demonstratum est. Cujusnam igitur præclaræ istæ omnes denominationes , quas Secta hæc continuo permutat, & semper nova nomina quærit , cujns inquam momenti sunt , si comparentur nomini honesti Christiani ?

Quanam causa igitur obliterandum in nobis velimus nomen à Christo deductum , & tanta antiquitate consecratum , effictis his à nova Religione vocabulis , fortis animi seu spiritus , Deistarum , Theistarum , Philosophorum , naturalis Religionis , honestorum hominum ? Non est sane cur nos pudeat esse & vocari probos Christianos , & si vultis , Philosophos Christianos : Pulchrum hoc nomen est , & vel præcellentissimos summosque homines decet. Gregorius Nazianzenus de Ministro Imperatorio , illustri Cæsario , in ejus laudatione , ita inquit : *In multis magnisque dignitatibus , quibus florebat , hoc tamen decori sibi præcipuo gloriaeque ducebat , esse se Christianum.* Probi Christiani nomen tanti estimabat , ut præ hoc uno , reliqua omnia in unum congesta , Indi instar nugarumque haberet. Recenseamus & nos

nugas

nugas inter, non jam præclarum, quantum in semet verum est, hominis honesti probique nomen, sed idem, prout est ab hac nova Religione usurpatur.

Me denique in Christiana Catholica natum viventemque Religione, penetrant intineque perstringunt, ejusdein Divini Auctoris & Domini verba: *qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui autem erubuerit me & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in Majestate sua & Patriis & Angelorum.* Precor itaque ex animo idem mecum sentientibus, toto ut vita curiculo omnibus contendant viribus, non in istorum honestorum hominum, sed in verorum honestorumque Christianorum esse censeri que numero: quo supplicationes Christi ad Patrem factæ, etiam ad nos pertineant: *ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, quia clarificatus sum in eis.*

Causam jam Lucubrationis hujus, quam nostræ Genti offero, facile quivis animadvertis; qui enim ita cogitet, bene Patriæ precetur necesse est. Finis itaque unicus istarum cogitationum hic est, ut Respublica dum de meliore interni Regiminis forma cogitat, supremo jure & authoritate sua à defensione Juris honorisque Divini ordiatur &

& veteribus Polonis , eorumque virtute & indole digna Lege publica , cohibere & coercere curet manifesta principia , cursum , & audaciam publicæ jam plerorumque impietatis , seu ut vocant *irreligionis* , ac ex ea tanquam è pestifero fonte scaturientium criminum : idque revera ob diminuendos corruptos Civium mores , adeo bonæ gubernationi omnibusque bonis Consiliis contrarios & funestos , ac ad purgandam Gentem , quod sine efficaci Religionis ope fieri nullo modo potest , malis sceleratisque hominibus .

Si quis alias , sane REX & Dominus noster , verus Christianus Philosophus , qui sublimi mente & ratione veri omnis vim facile perscrutatur & concipit , qui in semet hac de re sibi penitus perspecta absolute convictus est , scilicet sine bonis Civium moribus nullo modo Rempublicam aut stare , aut erigi , instaurarique posse , bonos autem mores , honestatem probitatemque nusquam sine vera Religione locum habituram : proinde ad Religionem afferendam confirmandamque contra pernoxias novitates , tota viuum contentione allaborabit . Hæc vota publica , hæc spes de illo , hæc in ejus Dei Vicaria maiestate fiducia .

Sub ejus Sceptro ne cristas attollat impetas , ne in familiaribus confessibus audeat ,

deat contra Dominantem apud nos Religionem Catholicam convicia & maledicta jacere. Quo fine innovatio justarum pñanarum , veteribus Patriis Legibus definitarum pernecessaria est. Quæ enim in orbe terrarum Gens est , quæ Legibus contra impios ac maledicos Dei & Religionis conviciatores careat ? quæ , ut eos Concilia Legesque nostræ vocant , *blasphemos* non puniat ?

Tantoque magis ut Libri impii , qui funditus bonos ac innocentes mores corrumpunt , sub gravibus prohibeantur panis, tam in eos latis , qui id genus venena in Regnum invehunt , quam in eos , qui talia aut typis imprimere , aut spargere , aut divendere au-sint : gravissima obligatione imposita tam sacris, quam Civilibus officiis , ut diligentissime super Prævaricatores vigilent , Legesque ad executionem ducant . Recens habemus exemplum in Gallia, ( cuius sanctior Philip-pica Advocati Regii Seguier testimonium est,) quam ibi etiam Civilis auctoritas , contra hanc Librorum , Scriptorum & typis vulga-torum pestem efficax remedium afferat. Nam ut verum id sit , *nitimur in vetitum cupimusque negata* : nihilominus fas est & ex-pedit , ita publica auctoritate agere , ac po-testate uti , saltem ut semper , summoq; me-tu & terrore contineatur impietas.

Sentiat

Sentiat in semetipso qui vult , ut sibi  
libet , Deoque de suis cogitatis & volunta-  
riis erroribus rationem reddat : in cogitan-  
do prout vult , sita est libertas hominis :  
non quod male cogitando graviter non pec-  
cet , non quod lex Divina male de Religione  
aut de morum disciplina sentire non pro-  
hibeat , non quod Deus impie meditata , ut  
impiè facta , nisi pænitentia cluantur , se-  
vere puniturus non sit : sed quod ad Forum  
externum attinet , si male & impie cogita-  
ta extra mentem non excunt , tum certe  
Ecclesia de internis non judicat , nec Juris-  
dictiones Patriæ intus eujusvis conscientiam  
clausumque pectus introspiciunt. Sed palam  
coram aliis contra sanctitatem mysteriorum  
vel morum ratiocinari , Dogmata serere ,  
prædicare , pias aures sermonibus impiis li-  
berisque inficere , scribere , typis in lucem  
edere , typis impressa in Regnum contra do-  
minantem Christianam Catholicam Religionem  
invehere , hoc audaciæ nimiæ , hoc perquam  
effrontis pervicaciæ est , hoc intolerandum  
est ; quidquid de talium intolerantia con-  
queratur impietas. Tolerari enim id fane  
non potest nec debet , quod ad convellendam  
Religionem verumque & Sanctum Dei cul-  
tum , quod ad perturbandam inter Cives pa-  
cem , unionem animorum & concordiam ,  
quod

quod pietate & Religione sublatis ut Cicero inquit: ad perturbationem vitæ magnamque confusione, & ad tollendam ex societate humani generis justitiam, quod ad inducendos pravos corruptosque in Rempublicam Ci-vium mores, quod ad flagitorum occultorum præsertim licentiam, necessario, unice, & absolute tendit.

Cum itaque omnem authoritatem vim potestatemque Imperii, cum consilia curamque omnem eò vertet Respublica, ut impietatem nascentem, & irreligiosæ doctrinæ semina in herba suffocet, ulterioremq[ue] ci cursum præscindat & præpediat, tum paullatim, ope Dei summi, & mores in melius mutabuntur, & bonæ Reipublicæ administrationis ac Regiminis, & fausti prosperique Consiliorum publicorum successus, & omnis felicitatis Patriæ, tum primum spes certa affulgebit.

F I N I S.



...zakonów, o której mowa jest w przekazie o Mikołaju z Kościelca. Wszystko to pozwala na wniosek, że Mikołaj z Kościelca i Mikołaj z Koziegłów pochodzą z jednej i tej samej rodziny. W tym samym zakresie pozwala to na wniosek, że Mikołaj z Koziegłów pochodzi z jednej i tej samej rodziny, co Mikołaj z Kościelca. W tym samym zakresie pozwala to na wniosek, że Mikołaj z Koziegłów pochodzi z jednej i tej samej rodziny, co Mikołaj z Kościelca. W tym samym zakresie pozwala to na wniosek, że Mikołaj z Koziegłów pochodzi z jednej i tej samej rodziny, co Mikołaj z Kościelca. W tym samym zakresie pozwala to na wniosek, że Mikołaj z Koziegłów pochodzi z jednej i tej samej rodziny, co Mikołaj z Kościelca. W tym samym zakresie pozwala to na wniosek, że Mikołaj z Koziegłów pochodzi z jednej i tej samej rodziny, co Mikołaj z Kościelca. W tym samym zakresie pozwala to na wniosek, że Mikołaj z Koziegłów pochodzi z jednej i tej samej rodziny, co Mikołaj z Kościelca. W tym samym zakresie pozwala to na wniosek, że Mikołaj z Koziegłów pochodzi z jednej i tej samej rodziny, co Mikołaj z Kościelca. W tym samym zakresie pozwala to na wniosek, że Mikołaj z Koziegłów pochodzi z jednej i tej samej rodziny, co Mikołaj z Kościelca. W tym samym zakresie pozwala to na wniosek, że Mikołaj z Koziegłów pochodzi z jednej i tej samej rodziny, co Mikołaj z Kościelca. W tym samym zakresie pozwala to na wniosek, że Mikołaj z Koziegłów pochodzi z jednej i tej samej rodziny, co Mikołaj z Kościelca. W tym samym zakresie pozwala to na wniosek, że Mikołaj z Koziegłów pochodzi z jednej i tej samej rodziny, co Mikołaj z Kościelca.

R. I. N. I. S.







F

XVIII-1.51